

[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely a historical document or letter.]





1668

- 39^{a, b, c} Schroeter, Ernestus Fredericus: De charta blanca.
3 Sept 1668 & 1737.
40. Schroeterus, Ernestus Fredericus: De successione
ab intestato
41. Schroeter, Ernestus Fredericus: De juribus militum
singularibus.
42. Schroeter, Ernestus Fredericus: De conditionibus rerum
fundationum.
43. Schwimmer, Johann Michael: De recip. distinctione
in rectam et corruptam.
- 44^{a, b} = Simon, Johann Georgius: Odium. 2 Sept. 1668 &
1680.
45. Strauchius, Johannes, Jur. Ord. decanus: adlectionem
in argualem Johannis Christophori Heintschii invitat. -
46. Strauchius, Johannes: De jure sepulturae
47. Strauchius, Johannes: De obligatione civitatis ex
contractu nuptiarum.

1668

48^{a. b.} Strauchius, Johannes : ^{juramento calumniae} ~~De obligatione civilis ex contractu~~
mutui. 2 Sumpt. 1668 - 1739.

49. Strauchius, Johannes : De protestationibus.

50. Strauchius, Johannes : Jus Fenebrarum.

51. Tilmannus, Bertholdus Henricus : De impedimentis
matrimonii

52. Tilmannus, ^{Bertholdus} Henricus : De regis Romanorum Electione
extraordinaria

53. Treiberus, Johannes Fidericus : De aggravatione
delictorum.

54. Voigt, Johannes : De justitia particulari

55. Wintheim, Statius Harbodus, von : De revocatione
fundi.

56. Wintheim, Statius Harbodus, von : De Fidei.

act

lobu

ic

17



16

48

49

50

51

52

53

54

55

56



1668, 39^b

15
3
2

JESU DUCE!

Magnifico Jctorum ad Salam Ordine

indulgente,

PRÆSIDE

MAGNIFICO ACADEMIÆ RECTORE

VIRO

PRÆ-NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO
ATQUE EXCELLENTISSIMO

DN. ERNESTO FRIDERICO

Schrötern/Hæreditario in Bickerstädt/

Jcto atque Professore Publico Famigeratissimo, Consiliario
Saxonico, Facultatis Juridicæ, Curia Provincialis & Scabinatus
Assessore gravissimo,

Dn. Patrono atque Præceptore suo æviternâ animâ
submissione devenerando,

DISPUTATIONEM JURIDICAM

De

CHARTA BLANCA

vulgò

Blanquet/

Publicæ Eruditorum disquisitioni submittit

DANIEL FRIDERICUS Schade/

Beuthenâ-Silesius,

AUTOR-RESPONDENS.

In Auditorio Jctorum horis locoque consvetis,

Ad diem Anno Christi MDC LXVIII.

RECUSA

ANNO MDCLXXXIV.

JENÆ, Typis JOHANNIS NISL.





J E S V D V C E !

SI, quæ usum in vita communi habent
quoridianum, tanquam utilissima *l. 6. §. 4.
in fin. ff. de precar. & pernecessaria l. 1. ff. de
suspect. tut.* attigenda plenius sunt, monen-
te Jcto Paulo in *l. 25. ff. de liber. legat.* in
verb. plenius rogo, quæ ad hæc spectant attingas, quoti-
diana enim sunt. Vlpiano in *l. 44. ff. de usucap.* Celso in
l. 5. ff. de legibus Justiniano in Nov. 94. cap. 2. quæque nota-
biliter fiunt, ne neglecta videantur, speciali designanda
tractatione *l. 15. §. 26. ff. de injur.* operam me oleumque
perditurum nullus metuo, si quorum mihi sancta semper
videri persona debet, Vlpianus in *l. 9. ff. de obsequ. parent.
& patron. prestand.* quorumque refragari obsequiis fas
non est *l. ult. C. eod.* jussu rationem studiorum meorum
redditurus præsens de CHARTA BLANCA thema,
usu non infrequens, utilitate notabile, discussione apud
Jctos Scriptores non passim obvium, pro fragili atque in-
firmo adhuc ætatis ingenivè mei Consilio, delibatis hinc
inde sparsim è variorum Jctorum, à Magnifico Viro Præ-
sidi Patrono atque Præceptore meo æviternum devene-
rando (Cui quicquid hujus est, jure meritissimo acceptum
ferre debeo) benevolentissimè mihi communicatorum,
viretis, suoque in ordine collocatis flosculis plenius ali-
quanto DISPVTATIONIS PVBLICÆ loco exhi-
bere allaboravero.

Quandoquidem verò tūc demum benè universa geruntur & competenter, si rei principium fiat decens, pronunciantē sacratissimo Imperatore in *Nov. §. proēm. pr.* Hujus ipsius secutus ego exemplar verè Imperatorium condignum ad quod universus componatur orbis, ab ipso rerum omnium Principio JEHOVA exordior, ejusque in nomine, uti ad omnia aliàs consilia omnesque actus semper, ita & ad institutum præsens progredior *l. 2. C. de off. Præf. Prætor. Afr. in pr.* animo manibusque ad cælum erectis æternum ejus auxilium humillimè invocans *l. 1. pr. & §. 2. C. de J. V. E.* Sit Hic Ipse, in quo una mihi spes est, laboris mei non solum principium, sed & medium & terminus ! *Nov. 109. pr.*

Ut autem ordine singula peragantur, sine quo nihil rectè agitur *c. cum dilectâ 22. X. de Rescr. Tusch. concl. 197. lit. O. n. 1.* hâc procedam methodo, ut Chartæ blancæ 1. Generalia. 2. Personas. 3. Formam. 4. Negotia civilia in quibus Chartæ blancæ possit esse usus. 5. Effectum & Finem. 6. Affinia. 7. Contraria pro ingenii tenuitate, temporis ratione, terminisque disputationis exponam. Sit ergò Jesu Duce!

CAP. I.

De Chartæ blancæ generalibus.

§. 1.

Cum rerum quidem potior, verborum tamen prior sit habenda ratio *l. Labeo 7. §. 2. ff. de supell. legat. l. 1. pr. ff. de reb. cred. & unaquæq; res, quemadmodum intelligenda sit, ex nomine appareat l. 6. ff. de bon. damn. hoc*

JCTO-

JCtorum consilium & ego observaturus, priusquam rei ipsius lustrem penetrabilia, brevissimis, quæ circa vocabula occurrent notanda, excutiam.

§. 2. Et primò quidem resolutionem vocum, quippe quæ proprium rei effectum demonstrat secundum *Everhard. in Loc. Top. ab Etymol. n. 2. Sicbard. in logic. Jur. Loc. ab Etymol. n. 3.* Clarissimorum JCtorum, qui in evolventia verborum origine laborarunt, secutus exempla *l. 1 pr. ff. de J. & J. l. 1. §. 1. ff. de pact. l. 7. pr. ff. de supell. leg. l. 35. §. 1. de mort. causa don. l. 1. ff. de acquir. vel amitt. poss. l. 1. ff. de furt. l. 180. ff. V. S. §. 2. J. de tut. pr. J. de testam. & simil. aggreddior evolventiam.*

§. 3. CHARTAM Faber in Thesauro suo à Chartâ urbe postmodum dictâ Tyrus appellatam vult; Christianus verò Becmanus *de Origin. Lat. Ling. in voce Imago* vocabulum chartæ oriri adserit aut à Græco *χαρτιον* sculpo, aut ab Hebræo *חרט* sculpsit, ut in quâ literæ sive notæ insculpantur & inscribantur. Quod meo quidem iudicio non incongruè. Describitur enim in genere charta, quod sit pagina scriptioni apta, ex quacunque materia illa sit, sive ex plumbo, sive ex cortice, sive ex linteis, sive ex papyro, sive ex corio, sive ex cera, sive ex lapidibus. *Calvin. Lexi. Jur. voce charta.*

§. 4. Vox BLANCA originem suam Gallis fert acceptam, quibus blanc significat album, candidum, *Weiß/ Paul. Matth. Webner. Pr. Jur. Observ. Select. in voce Blanche/ Membranen. Sigism. Finckelthuf. obs. Pract. 8. n. 11. ex Martino Magero à Schönberg/ tract. de Advocat. Armat. cap. 9. n. 89. & hic ex D. Goldasto in Reichs-Sagung. in Sententia exauctorationis Wencesla Romanorum Regis.*

Ut ita sit CHARTA BLANCA folium, sive pagina scriptioni apta, alba, candida h. e. nondum per-scripta.

§. 5. Non verò hoc ipso indigito Chartam adhuc omninò blancam, in quâ penitus nihil impressum sit, cujusmodi sub nomine puræ mentio fit in *l. 52. §. 4. & l. 76. ff. de legat. 3.* quæ parum forte, imò nihil quicquam per se præjudicaturò sit tradenti: Sed eam in quâ conscriptum quidem nondum est, de qua inter partes convenit, aut convenire adhuc debet, negotium; Subscripta tamen illa jam, aut signata saltem est, hoc fine, ut negotium conventum, aut conveniendum eidem inscribatur. Quæ subscriptio aut subsignatio vel ab eo fit, quem principaliter negotium non concernit, v. g. à teste; qualem Chartam blancam exhibet *l. si binae 11. ff. de injust. rupt. irritò fact. testam.* (qui unicus forte est textus, qui ad Chartam, de quâ in præsens sermo, blancam applicari aliquo modo possit, in Jure Civili Justin. obvius) vel ab eo, quem contingit principaliter negotium: Quæ posterior acceptio nostri potissimum loci est. *De quo cap. 3. plura.*

§. 9. Separantur equidem in Jure nostro à membranis chartæ, uti videre est ex *l. 9. §. 1. & 2. ff. de A. R. D. l. 52. pr. & §. 4. de legat. 111. §. litera 33. J. de Rer. divis.* ita ut appellatione Chartæ non veniat membrana, & contra. *l. 52. §. 4. de legat. 111.* quippe cum ex materia conficiantur diversa. *Johann. Calvin. Lexic. Jurid. voce charta.* Cum tamen & in genere charta paginam quamcunque scriptioni aptam ex quacunque materia illa sit, denotet, uti ex *Calvino* jam innui, & imò aliquando in Legibus

bus

bus nostris membranam includere videatur, (argumento est l. 23. §. 3. ff. de Rei Vind.) in generaliiori illo significato & ego in præsens non solum chartam, sed & membranam accipio, ita ut vice versâ altera alteram includat. Neque posterius sine autoritate; Goldastus enim jam allegat. loc. generaliter ita: Mit ungeschriebenen Brieffen / die man Membranen nennet &c. & Webnerus d. l. Synonymum voci Blanckhet apponit Membranen quibus consentit Mager. d. cap. 9. n. 88.

§. 7. Caterum varias apud varios Charta blanca habet appellationes. Italicae vocis origine indigitatur blanca Mager. d. cap. 9. n. 86. vers. conferunt. aliàs charta bianca Matth. Bertich. conclus. pract. part. 1. concl. 14. num. 91. & 94. vacua Anton. Hering. tract. de Fidejuss. cap. 11. n. 103. & plures alii: puta Finckelth. dict. Obs. 8. n. 4. alba Boër. dec. 274. n. 5. Mager. d. l. n. 86. Blancetum. Zahn. de Mendac. l. 2. c. 31. n. 2. Blanquetum B. Dn. Carpz. parte 3. dec. 237. passim. Blancheta. Rutger. Ruland. d. tr. & cap. n. 4. lit. H. Scheda vacua Köppen. dec. 45. n. 17. folia alba, vacua Tuschus conclus. 409. lit. F. Mager. d. n. 26. membranæ nudæ Mager. num. 88. Communissimè verò Charta blanca dd. Authores. Germ. vulgò effertur Blanket / Blanckhet / Blanquet / Planket. Carpz. l. 5. Resp. Jur. Elect. tit. 1. de pact. & Transact. Resp. 3. n. 13. Process. 45. art. 1. n. 110. Webner. d. l. Charten bianken Besold. Thesaur. Pr. voce Handunterschrift Membranen. Goldast. d. l. Webner. d. l.

§. 8. Jam describo CHARTAM BLANCAM quod sit pagina scriptioni apta subscripta tantum aut subsignata, cetera adhuc vacua, eo sine alicui data, ut de quo convenit, aut adhuc conveniet, negotium in eâ conscribatur.

CAP.

De personis quæ dare, aut accipere Chartam blancam possunt.

Delibatis ita breviter Chartæ blancæ generalioribus, ordinis ratio sibi exposcit personas, quæ dare aut accipere Chartam blancam possint.

§. 9. Dare in genere Chartam blancam opinor posse omnes illos, qui cujus gratia datur, negotium, suo ipsorummet libero arbitrio celebrare queunt.

§. 10. Uti ergò furiosi *l. in negotiis contrahendis 5. ff. de R. J. & infantes §. 9. J. de inut. stipul.* nullum negotium ne tutore quidem vel Curatore authore rectè gerunt *dd. textibus.* uti proximi infantix & pubertati tutore demum authore rectè contrahunt *d. §. 9.* uti prodigus obligare se, aut bona sua deminuere *l. 10. ff. de Curat. fur.* minor curatorem habens contractum, qui dominium rerum suarum transferat, inire, *l. 3. C. de Restit. in integr.* Curatore demum consentiente possunt *dd. textibus* ita vel omnino non, vel certo saltem respectu, interveniente scilicet. Tutore aut Curatore dicti omnes Chartam blancam, cui negotium ab ipsis contractum aut contrahendum inseratur, dare poterunt.

§. 11. Casum de minore in puncto mandati habet *Tiber. Decianus vol. 3. Resp. 91.* non malè huc quadrantem, ut in terminis Chartæ nostræ blancæ non loquatur, affine tamen ejus, ut infra videbimus, concernit.

Constituerat minor quidam procuratricem matrem suam

suam specialiter, & expressè, ad actus quosdam singulares, & generaliter ad omnia cum clausulâ in albis. Hujus clausulæ virtute ex recepto regionis more Procuratrix extrahi sibi à Notario curaverat mandatum speciale ad vendendum, & vigore illius vendiderat bona quædam Constituentis mobilia præter omnem necessitatem maximò Principalis dispendio & damno. Hanc venditionem impugnat Decianus toto illo Responso ex fundamentis variis; inter alia verò & hoc, quod Constituens Procuratricem in albis fuerit minor, adeoque mandatum in albis facere non potuerit, per quod posset extrahi mandatum ad alienandum sine debitis solennitatibus requisitis in alienatione minorum (quas vide in *Magn. Dn. Struv. Ex. 31. tb. 84. Magn. Dn. Brunnem. Patroni atq; Præceptoris filiali obsequio mihi prosequendi Comm. Cod. ad l. 5. 6. § 12. C. de præd. minor.*) Additionem, cum ipsemet minor sine illis non potuisset alienare, multò minus ergo alteri mandare, quia prohibita alienatione censeantur prohibita omnia, per quæ ad illam deveniri possit *l. oratio 16. ff. de sponsal.* & requisita in ipso alienationis actu solennitas requiratur etiam in actu, ex quo alienatio sequi possit, & quem per se actum quis facere nequeat, neque per alium possit. Allegat in terminis verba *Socini cons. 239. presentis consultationis difficultas col. 2. vers. sed difficultas oritur vol. 2. § cons. 254. visâ & consideratâ col. 1. d. vol. 2.* ita loquentis: Si Statutum exigat aliquam solennitatem in factis minorum, & minor ad ea conficienda procuratorem constituat, debet adhibere solennitatem illam, quæ adhibenda foret, si ipse fecisset actum illum, aliàs talis constitutio procuratoris non valebit. Hûc usque *Decianus n. 24. 25. 26. 27.*

§. 12. Ex quibus colligo minorem neque Procuratori ad iudicium *arg. l. neque tutores. 11. C. de procurat.* quia ipse sine Curatore legitimam personam standi in iudicio non habet. *l. 2. & 3. C. qui leg. pers.* neque Procuratori extrajudiciali ad alienandas res suas Chartam dare blancam absque Curatoris consensu posse.

§. 13. De foeminis, quia ex omni contractu, exceptis quibus pro aliis interveniunt, casibus *l. 2. §. 1. l. 16. ff. de Sct. Vellej. Dn. Brunnem. Repet. Parat. Wesenb. q. 1. ad Sct. Vellej.* obligantur, quin Chartam dare blancam possint, nullus equidem dubito: Cum tamen propter sexus imbecillitatem *l. 2. §. 2. ad Sct. Vellej.* infirmitatem *l. 9. pr. ff. de jur. & fact. ignor. fragilitatem. l. ult. pr. C. de donat. ante nupt.* consiliumque adversus propria commoda plerumque laborans *l. si pater 4. C. de sponsal.* multis suppositæ sint atque subjectæ casibus *d. l. 2. §. 2. ad Sct. Vellej.* rectè utique *Besold. Thesaur. Pract. hâc voce nostrâ,* folia alba à mulieribus data facilè ut suspecta argui posse adserit.

§. 14. Quod Imperator Romano-Germanus absque consensu Electorum & statuum Imperii Chartas largiri blancas in præjudicium S. R. I. jure nequeat, satis sufficienterque apparet ex sententiâ exauctorationis & privationis Wenceslai Rom. Imperatoris latâ & pronunciatâ anno 1400. die 10. Augusti, in quâ inter alias & hæc primum ferè locum obtinet causa, quod liberalis nimium, in elargiendis foliis albis sigillo Majestatis suæ communitis fuerit. Verba latina §. 2. sic habent: Membranas per plures nudas rasasque, suæ tamen Majestatis sigillo munitas, amicis pecuniâ vendidit, in quibus tum illis, tum aliis, in quorum manus istiusmodi membranz venerunt
sub

sub Regio Sigillo, quæ scribere vellent, licuit. Quæ ex re
 ob S.R.I. jurium & emolumentorum damnosam immina-
 tionem & dissipationem graves quærelæ ortæ. *Gregor. Tho-*
losan. de Republ. l. 26. cap. 4. num. 3. D. Goldast. in Reichsfae-
hung fol. 158. Mager. dict. tract. c. 9. n. 88. qui n. 89. citat ex D.
Goldast. verba idiomate germano concepta: Daß er um
Geldes willen seine Abgesandten mit ungeschriebenen
Brieffen die man nennet Membranen (vulgò Blanc-
ket/à Gallico blanc, quod album significat) und mit seiner
Majestät Insiegel besiegelt waren/ ins Reich geschickt/
darein hernach die Legaten/oder denen die Membranen
vertrauet worden / unter dem Königlichen Insiegel
schreiben mögen/was sie wolten/dadurch das H. Röm.
Reich an seinen Würden und Nutzen schädlich beraubt
und entgliedert worden. Imò haut absurdè, ut opinor,
concludi hinc posset, Imperatorem nunquam inconsultis
Electoibus & Imperii statibus, Chartas largiri blancas pos-
se, cum incommodum aut detrimentum Imperii semper
metuendum inde sit; quod illimitata illa Chartæ blancæ
traditione concessa scribendi in eadem quidvis potestas
illud facili promovere negotio queat. Egregiè quidem
Carol. Paschalius de Legat. c. 50. pr. Cui data sunt liberæ
mandata, etsi nullis vinculis, tamen iis adstringitur, quæ
sunt validissima, fidei nimirum ac pudoris, referente Ru-
land. de Commiss. part. 1. libr. 3. c. 3. sed verò quotusquisque
ejusmodi potestate instructus pudoris atque fidei se conti-
neri vinculo patitur.

§. 15. Vasallus etiam, quia feudum sine consensu
 Domini *ii. F. 52. 55. exceptio feudo simpliciter heredita-*
rio ii. F. 48. Magnif. Dn. Struv. Syntagm. Jur. feud. cap. 13.

tb. 13. & cap. tb. 14. Carol. à Kirchberg. de feud. ex pact. & provid. & hered. cap. 5. num. 17. & Agnatorum in feudo antiquo, & aliquando re in novo n. f. 39. 45. licitè alienare nequit Dn. Struv. d. c. 13. tb. 14. Chartam blancam ad alienandum irrequisito Domini & Agnatorum consensu dare validè non poterit.

§. 16. De Notario disquirat Boër. dec. 274. n. 4. utrum sigillare Chartam vacuam possit, cui demum superscribatur citatio? & à nullitatis vitio eum non excusari respondet; imò falsi crimen incurrere, si certa ei data fuisset forma scribendi, ita quod committi fraus possit, quoniam qui talem det Chartam vacuam, dedisse videatur potestatem, quicquid voluerit, scribendi. n. 4.

§. 17. Accipere Chartam blancam possunt itidem, qui, quod gerunt negotium, ex dispositione sua liberrimè gerere valent, cum correlativorum idem sit iudicium, Magn. Dn. Richt. part. 2. dec. 99. n. 34. Sic, ut uno saltem exemplo rem declarem; Quicumque jure prohibentur procurare, ii nec Chartam blancam ad procurandum cum effectu accipere poterunt, ita ut vi mandati eidem postea inscripti defensionem alicujus in iudicio validè suscipiant, quin vel ex officio vel petente parte iudicio arceantur.

§. 18. Et hæc de personis, quæ Chartam blancam dare, aut accipere possunt, notasse sufficiat, ex quibus de reliquis iudicium fieri haud difficulter poterit.

CAP. III.

De formâ chartæ blancæ.

§. 19. Forma Chartæ blancæ consistit in hoc, ut signata sit, aut subsignata. Et siquidem negotium quod cele-

celebratur, pro forma sui & solennitate requirat utrumque conjunctim, utrumque etiam necessario apponendum erit, & neque sigillum absque subscriptione *Menoch. de Presumpt. l. 2. pres. 57. num. 37. cap. Köppen. decis. 45. v. 33. 34.* neque subscriptio absque sigillo quicquam operabitur *arg. l. 22. §. 4. ff. qui testam. fac. poss.*

§. 20. Ita conscriptum in Chartâ blancâ mandatum non erit legitimum, si non subscripta pariter atque sigillata fuerit à mandante Charta adhuc vacua; quia requisitum mandati procuratorii substantiale est subscriptio et sigillatio simul & conjunctim, ex observantiâ Curiarum Elector. Lipsiensis & Witteberg. & Constitutione expressâ Sereniss. Electorum Johann. Georg. in *ordin. proc. Judic. tit. 7. §. da auch. vers. die Mandata* & August. post visitationem anno 1574. habitam *sub tit. Mandata* daß die Mandata u. Vollmachten sollen/allerley Mißbräuche so darneben eingeschlichen/zu vermeyden nicht allein von den Partheyen gestegelt/sondern auch unterschrieben werden. *Job. Zanger. de Except. part. 2. c. 8. n. 26. 27. Hillig. in Don. l. 18. c. 12. lit. EE. Berlich. part. 1. concl. 14. n. 73. seqq. Dn. Carpz. part. 1. def. for. Const. 1. def. 27. part. 1. decis. 27. n. 1. seqq. in Process. tit. V. art. 1. n. 90. seqq.*

§. 21. Limitant superius dicta Doctores primò, quod subsistat mandatum tantum licet subsignatum, si ob defectum sigilli signare id Constituens non potuit, aut signatum quidem, sigillo tamen non proprio, sed alieno; si de eo fuerit attestatus consuetis hisce verbis: *in Ermangelung meines Pitschaffts vel: Weil ich kein Siegel habe/so hat ein ander N.N. sein Siegel aufgetrückt.* *Hillig. d. l. Carpz. d. dec. 27. ubi in fine præjudiciis id confirmat. Conf.*

Ruland. de Commiss. part. 1. l. 5. cap. 8. n. 7. qui uti licere alieno sigillo adferit, modò propriâ subscribat manu Principalis etiam non expressa causa, quare suo non utatur, cum in actu solennitates summas requirente testamenti scilicet confectione, liberum id relinquatur, ut habetur in §. *pos- sunt autem 5. Et ibi præ cater. Fichardus n. 2. Instit. de testam. ordin.*

§. 22. Secundo in mandatis Regum, Principum, Episcoporum, Capituli, Abbatum, Comitum, Baronum Civitatum & Universitatum, in quibus solam sigilli publici & soliti appositionem sine subscriptione sufficere tradunt *Ruland. d. c. 8. n. 7. 8. Zanger. d. c. 8. n. 123. usq; ad finem cap. Hillig. in Don. d. lit. EE. Berlich. d. concl. 14. num. 83. seqq. ab eoque allegati Du. Carpzov. d. part. 1. dec. 28. Et in Process. d. art. 1. n. 104. seqq.* Instrumentum siquidem authentico Principis &c. Sigillo munitum ex Communi Dd. Sententia pro instrumento publico habetur, & ex consuetudine totius orbis plenam fidem inducit, teste *Köppen. decis. 46. n. 42.* etiam absque adminiculo comparationis vel recognitionis. Hodie tamen ejusmodi mandatis aut Syndicatus plerumque etiam Secretarii vel sim. officialium, Consulis sc. regentis aut Syndici accedere subscriptio solet, teste observantiâ *Process. Judiciar. Friderici part. 1. c. 7. n. 32.* quod verò consuetum est, necessarium quoque est. *Everhard. in Topic. loc. ab usitat. n. 3. seqq.*

Quæ applicari ad Chartam blancam pariliratione possunt, ut scil. valeat mandatum procuratorium in Chartâ blancâ à constituyente data conscriptum, si vel nullo, vel alieno sigillo usus de eo legitimè attestatus fuerit, aut Charta blanca à Principe sigillo publico & solito munita, quamvis non subscripta, tradita fuerit.

§. 23. Solam sigilli appositionem & tunc non suffice-
re, si maximum versetur præjudicium, sed subscriptionem
simul requiri, volunt *Menoch. l. 2. præf. 57. n. 44. Zanger. d. c. 8. n. ult.*

§. 24. Extra verò hos casus sufficiet signatam esse,
aut subsignatam disjunctim Chartam, blancam, cum, sicut
utrumque, ita & alterutrum tantum consensum & obli-
gationem inducat *l. 8. §. non videtur 15. ff. quibus mod. pign. solv. Coler. d. cap. 1. num. 128. & sola subscriptio ad con- sensum præstandum facta plenissimè prober Alexand. vol. 2. cons. 147. num. 3. seq. Paul de Castro vol. 1. cons. 216. num. 1. seq. Paris. vol. 1. cons. 18. n. 109. solumque sigillum idem quod subscriptio operetur Alexand. d. cons. 147. n. 6. vers. prætere & Capel. Tholos. q. 24. n. 1. Menoch. l. 2. præf. 75. n. 34. unde & sub- signare idem est, quod subscribere *l. subsignatum 39. de V. S. Carpz. dec. 27. n. 23. & Peoc. t. 5. art. 1. n. 91. Ex quibus ratio- nibus d. l. Carpz. haud obscurè innuit, sufficere de Jure Communi ad validitatem mandati alterutrò, aut subsi- gnatione, aut sigillo constituentis esse munitum. Cui con- sentit Zanger. d. c. 8. n. 25. qui in specie de sigillo affirmat, quod hoc casu Scripturæ, de negotio quod concernit Do- minum confectæ, appositum idem operetur, quod subscri- ptio. Menoch. l. 2. A. J. 2. cas. 113. n. 10. & d. præf. 57. n. 30.**

§. 25. Alia verò est quæstio: an major fides scri-
pturæ subscriptæ & non sigillatæ, an sigillatæ, & non sub-
scriptæ adhibenda? Quorum prius affirmat *Hennig. We- gner. ad l. 39. de V. S. n. 5. ex Gædd. ad d. l. n. 3.* quia scriptura est veluti signum specialius annulo signatorio aut alio aliquo, cum signatorius semel sculptus ad quascunque postmodum signationes etiam ignorante domino ab aliis
ad-

adhiberi possit; at scriptura toties singulatim repetenda, & semper de novo ac specialiter formanda, quoties res exigit
add. Angelius Wertenhagen de Rebus publ. Hanseatic. part. 2. c. 15. pag. 809.

§. 26. Alia itidem est illa quæstio: an signatio & sub-signatio conjunctim, an verò ex his alterutrum fortius probent? & prius iterum affirmo, quippe quod duo vincula fortius ligent, quàm unum *l. re conjuncti 89. ff. de legat. III. auth. cessante. C. de suis & legitimis §. sed hodie J. de adopt. Nov. 118. c. 3. Wesenb. vol. 1. d. 37. th. 8.* Et varietas oculis spectata, & sensibus insinuata, manibusque in tuto locata *l. hac consultissima 8. C. qui testam. fac. magis magisq; cõfirmetur.*

§. 27. Discussum jam fuit, an & quando subsignatio aut signatio, conjunctim aut disjunctim sufficiant; disquirendum etiam jam erit, qualis illa subsignatio aut signatio esse debeat, ut effectibus suis infra recensendis non destituatur. Et verò cum multis de causis uti signatio *Menoch. l. 2. de presunt. pres. 57. num. 10.* ita & sub-signatio fieri soleant *Magnif. Dn. Richt. vol. 1. part. 4. conf. 32. n. 8.* tum autem demum effectus suos consuetos habeant contra subsignantem, aut signantem, si pro inducenda obligatione à Principali, ad quem principaliter & primario negotium Chartæ blancæ pertinet, apponantur. *Richter. d. l. Coler. num. 132. part. 3. c. 1. Besold. in voce Charta blanca ex Pfeil conf. 39. num. 1. & 2. & voce Handunterschrift Menoch. l. 3. pres. 66. num. 7. collato num. 15. seqq.* non solius v. g. testimonii ergo, ut ab eo, qui ipse non contraxit, & quem negotium non tangit *Coler. d. l.* qualis subsignans vel signans frustra utique convenietur de eo, quod in Charta illa blanca postmodum scriptum est
l. se

l. si pater. 6. C. de fidejuss. l. si non subscripsisti 15. C. de adm. tut. Et ibi Dn. Brunnem. l. 39. de pign. act. Coler. d. l. cum actus agentium non operentur ultra eorum intentionem, l. non omnis 19. pr. ff. si cert. pet. Ergo utique subscriptio aut subsignatio apposita Chartæ adhuc vacuæ, si operari aliquid contra sigillantem aut subscribentem debet, animo sese obligandi de negotio ad se pertinenti subjecta & appensa esse debet Pfeil. d. cons. 39. n. 1. & 2. ubi hoc in terminis habet.

§. 28. In dubio verò, quando aliud non apparet, sigillum vel subscriptio in vim authorisationis potius, quàm obligationis processisse censetur. *Coler. d. l. n. 135.* Hinc vulgò consuevit pro majore securitate, ut testes subscribentes vel signantes alienum contractum suis annulis in fine adjiciant clausulam, quod sigillaverint, aut subscripserint tanquam testes ad preces contrahentium sine tamen suo vel hereditum præjudicio, welches ich/ als dazü erbetener Zeuge geschehen zu seyn/bekenne/und mich dessen zu Gezeugniß hiemit unterschreiben thue/doch mir und meinen Erben ohne Schaden. *dict. loc. Coler. Besold. voc. Handunterschrift. Schneidew in com. Inst. ad pr. de emt. vend. n. 8.* quam abundantem quidem esse adeoq; non necessariam cautelam adserit *Hering. c. 17. n. 7.* cum ipso jure subscribens & ipsius heredes ex nudo actu subscriptionis & sigillationis maneat indemnes; non tamen improbandam eam rectè *Coler.* & cum hoc ego statuo *arg. l. que dubitationis 81. de Reg. Jur. & l. non solent 94. d. eod.*

§. 29. Dixi, ut signata aut subsignata, Charta Blanca subsignantem obliget, requiri, factam esse animo sese obligandi subsignationem illam; Ei verò, qui ut testis v. g. se subsignaverit, nihil quicquam præjudicare, per trada.

data. Quod uti verissimum est, ita è contra testium subscriptio juncta subscriptioni Principalis fortius hunc obligabit *arg. l. ii. C. qui pot. in pignor.* ubi dicitur, quod Chirographum trium vel amplius, integræ opinionis virorum subscriptione munitum habeatur pro publico instrumento, adeoque plenè probet contra principalem, etiam absq; recognitione ejus, aut comparatione literarum *Coler. n. 138. 39.* dummodo de manu & sigillis testium vel per recognitionem, vel per comparationem constet *Dn. Brunnem. ad d. l. ii.* quod haud absurdè ad Chartam quoque Blancam extendi posse existimo.

§. 29. Subscriptio alia generalis est, alia specialis *Brunnem. ad auth. quod sine C. de test. Menoch. l. 3. pres. 66. num. 10.* illa, cum nomen tantum suum quis subscripsit, pura: *Dis ist meine Hand. Matth. Berl. in Dec. aur. Dec. 90. n. 13. Köppen. Dec. 45. n. 28.* hæc, cum in subscriptione sua dilucidè attestatur in hac Chartâ contineri hoc aut illud instrumentum, hoc esse tale instrumentum. *Berl. dict. Dec. n. 12. Köpp. d. n. 28.*

§. 30. Inde quæro: anne specialis in Chartâ Blancâ requiratur subscriptio, an verò sufficiat generalis? Et ut fortè tutius, imò tutissimè semper adhibeatur subscriptio specialis, quippè quæ non fraudes solùm omnes excludit, (perfacile enim Charta Blanca alio fine subscripta diversis ab illò contentis repleri possit,) sed & periculosam illam potestatem, quâ generaliter subscriptam Chartam Blancam alicui tradens, licentiam eidem etiam tradidisse generalem videtur conscribendi in eâ quicquid libuerit *Boër. dec. 274. num. 4. Höpingk. de Jur. Sigill. c. 6. n. 143.* felicissimè restringit: quia tamen & generalis subscriptio consensum & approbationem arguit, tradente *Menoch. d. l. n. 10. & Dd.*
com-

communiter contra Partol. teste Berlich. atq; idem operatur genus in suo genere, quod species in sua specie *l. si duo § 1. in fin. ff. de adm. tut. l. si chorvs in pr. 79. ff. leg. iii. & in dubio falsitas non præsumitur arg. l. merito § 1. ff. pro soc. c. este 2. extr. de reg. Jur. Mascard. de probat. vol. 1. concl. 495. Finckelth. d. Obs. 8. n. 15. Berl. d. Dec. 90. n. 15.* Hinc perindè erit, specificè subsignata fuerit Charta Blanca, an verò generaliter.

§. 32. Ita, ut scopum feriamus, in terminis tradit B. Dn. Carpzov. part. 3. Decis. 237. num. 9. si Blanquetum simpliciter à litigantibus subscriptum in iudicio proponatur, quantumvis ipsemet Procurator facultatem readsumendi litem, de rato cavendi, vel documenta recognoscendi (quæ singula speciale requirunt mandatum B. Dn. Carpz. d. l. n. 2. 3. l. 3. Resp. Elector. t. 1. Resp. 11. num. 9. 16. § 20. in Process. t. 5. art. 2. num. 14. seqq. n. 29. seqq. § n. 43. Gail. l. 1. observ. 109. num. 5. 6. Berlich. concl. 27. n. 21. part. 1. § concl. 44. num. 18. Zang. de Exception. part. 2. cap. 8. num. 38.) eidem inseruerit, quin tamen pro sufficiente & legitimo mandato id haberi debeat, vix esse ambigendum. Rationem addit, quia ex simplici subscriptione videatur mandans consentire in omnia, quæ Procurator vel mandatarius Chartæ Blancæ inscribere velit, aut possit, adeoque etiam potestatem concedere ei, mandatum ita extendere, prout personam suam per id sufficienter ad omnes iudicii & processus intentati actus legitimatam existimaverit, cum subscriptio generalis generalem etiam inducat consensum & approbationem *l. sicut 8. §. non videtur 15. ff. quib. mod. pign. solv. & subscribens in genere virtualiter omnia scripsisse censeatur in scripturâ, quam suâ subscriptione confirmat Jul. Clar. §. testamentum 14. n. 1. Dautb. ad l. 21. §. ex imperfecto*

*fecto n. 28. C. de testam. B. Dn. Carpz. dict. Decis. n. 10. Et n. cum
ibi allegat. Extendit hoc n. 12. secundum Dd. etiamsi Char-
ta blanca sigillo tantummodo fuerit consignata, cui pro-
bando laudat Coler. d. l. n. 128.*

§ 33. Patet ergo ex dictis, quod subscriptio aut signa-
tio Chartæ Blancæ simpliciter facta, eo usque vim atque
energiam suam exserat, ut & quæ speciale sibi exposcunt
mandatum, negotia (quæ videre sunt apud B. D. Carpz. d. l.
3. t. 1. Resp. 11. per tot. in Process. tit. 5. art. 2. Zanger. de Except.
part. 2. c. 8. n. 38. Magnif. Dn. Brunnem. c. 1. Process. Cix. num. 50.
Magnif. Dn. Struv. Ex. 7. th. 34. Et alleg. in Process. Frider.
edit. Noviss. part. 1. c. 7. n. 12.) eidem possint inseri, manda-
tumque ita conscriptum Procuratorem scribentem satis
sufficienter legitimet.

§ 34. Limitatur verò in genere, quod de subscriptio-
ne generali adserui, in negotio, quod nominatim specia-
lem requirit subscriptionem Menoch. libr. 3. presumt. 66. n. 11.
ubi exemplis id declarat, & sic dissentientem Bartol. spe-
cialem subscriptionem requirentem conciliat; aut pro
forma sui scripturam manu alicujus propria exaratam se-
cundum Clar. d. n. 4. cui adversari videtur Menoch. qui in
genere adserit, præsumi approbasse & tunc subscriptam
scripturam subscribentem, quando pro formâ negotii pro-
pria alicujus scriptura requiritur, non distinguens inter
subscriptionem generalem & specialem; ratio ejus est, quia
consensus uti ex totâ scripturâ, ita & ex subscriptione elicia-
tur; d. presumt. 66. n. 14. cui adstipulatur & illa ratio, quod
paria sint scribere & subscribere. l. 1. §. 1. ff. de Constit. Princip.
Schneidw. Comm. Inst. ad pr. de Empt. vendit. n. 8. Paul. Matth.
Webner. Observat. Pract. voce Blankhet.

§. 37. Occasione dictorum vendilanda etiam venit illa quaestio: Si mandans Blanquetum Procuratori traditum specificè subscripserit, ad certum aliquem actum mandatum restringendo, an possit mandatarius postmodum in scripto extendere limitatam talem subscriptionem ad alium aliquem articulum specialem contra expressa subscriptis Principalis verba, & si extendat, an ejusmodi mandatum quoad articulum illum extensum personam Procuratoris sufficienter legitimet? Speciem facti in supremo Appellationis Senatu Termino Trinit. Anno 1648. in causa **Albrecht Thostens Erben** contra **Siegmund von Dobeneck** / disceptatam recenset sequentem *B. Dn. Carpz. Decis. dict. 237. num. 6. 7.* Heredibus injuncta erat Readsumptio processus, quam etiam Procurator expedire volebat, eumque in finem, mandatum Blanqueto seu Chartæ Blancæ à se inscriptum exhibebat: opponebatur verò ipsi exceptio uondum factæ legitimationis, propterea, quod heredes illi in Chartâ Blancâ subscripserant certâ limitatione ad procedendum *zum Verfahren*. Procurator offerebat se ad cautionem de rato, quæ præstari legitimè non poterat quia æquè ac readsumptio litis mandatum desiderat speciale, quo destituebatur Procurator; cum non admitteret illud subscriptio ad procedendum restrictiva, ut vel maximè tenorem ad readsumendum vel cavendum de rato extendisset. Quæsitum ergò fuit, an laudatus Procurator hoc mandato admittendus ad readsumptionem Processus sit, an verò aliter personam suam legitimare habeat necesse? Admittendum eum esse videtur primo intuitu, exinde, quod consentiens instrumento atq; subscribens censeatur consensisse omnibus in Instrumento contentis *arg. l. cum Principalis 178. ff. de R. l. l. cui jurisdictio 2. ff. de Jurisd.*

Hartm. Pistor. part. 2. q. 49. num. 24. Sed enim hoc non ob-
stante cum *B. Dn. Carpzov. d. Dec. n. 13. & in Process. d. tit. 5.*
art. 2. n. 7. verius existimo aliam Procuratori illi injungen-
dam legitimationem. Quando enim subscriptio diversa
est à contentis instrumenti, vel cum iisdem pugnat, sub-
scriptionis potius, quàm contentorum ab aliis in instru-
mento positorum habenda ratio est; cum voluntas agentis
ex subscriptione appareat *l. mutua 14. C. si cert. pet. l. si non*
subscripsisti quasi fidejussor. l. 15. C. de admin. tut. l. si pater 6. C.
de Fidejuss. Carpzov. d. Dec. n. 14. 15. 16. Process. n. 8. 9. 10. in
omni verò facto animus & voluntas facientis inspicienda
l. pro herede 20. in pr. ibi: nam hoc animo esse debet & §. 1. & 2.
de acquir. hered. l. obligationum 3. §. 1. ibi: sed etiam hoc animo
cum §. seq. ff. de O. & A. l. verum est 39. in pr. ibi: non enim fa-
ctum queritur, sed causa faciendi ff. de Furt. & hominum
actûs non aliunde, quam ex intentione & consilio agentis
æstimandi sunt. l. 11. §. sciendum 3. de minor. l. fraudis inter-
pretatio 79. ff. de Reg. Jur. moderantibus eosdem non aliter,
quàm frenum equos, & gubernaculum navem Christoph.
Besold. part. 4. cons. 171. n. 37. Et ita etiam Responsum à Sena-
tu Appellat. ad propositum casum fuit. *Dasß klagender An-*
walt seine Person anderer Gestalt denn geschehen/zu legitimi-
ren schuldig/ B. R. W. teste Carpzov. sapius alleg. Decis. n. 20.
Quod attinet oppositam dubitandi rationem, illa tantum
obtinet in casu dubio, non quando ex subscriptione limita-
tà, & ad certum actum verbis expressis restrictâ de animo &
voluntate subscribentis constat: quo casu causæ nihil est,
ut aliunde & ex contentis Instrumenti ab alio conscripti
scribentis voluntatem anxie inquiramus *arg. l. non aliter*
69. ff. de legat. 3. & l. 7. §. 2. de suppell. legat. B. Dn. Carpzov. l. 5.
Resp. 3. tit. 1. n. 17. & 18. §. 36.

§. 36. Quod sigillum adminiculante subscriptione, imò etiam sine eâ suo non destituatur robore, adserui superiùs: Videndum tamen, an non æquipollens saltem aliquod in defectu subscriptionis adhibitu sit necessarium; & Colerus quidem *part. 3. c. 1. n. 133. ex Panormitan. in cap. 2. n. 14. & 15. extr. de fid. instrum. tria*, ut sigillantem obliget sigillum, requirit: 1. Ut in Scripturâ exprimat, cuius sit sigillum. 2. à quò appositum. 3. ad quem finem. Cui consentit *Mascard. concl. 1301. n. 52. Menoch. A. J. 2. cent. 2. cas. 113. n. 3.* ubi unius cuiusque addit rationem, quam in genere Colerus hanc adsignat, cum sigillum per se nihil loquatur, sed mutus sit & incertus testis *n. 134.* res inanimata per se nihil probans. *n. 95.* quæ facilè corrumpi, surripi atque ejus loco falsum clam substitui possit *d. n. 95. Cravetta Consil. 46. num. 5. part. 1. Köppen. Decis. 45. n. 34. Decis. 46. n. 23.*

§. 37. Sed enim verò cum sigillum suos habere debeat characteres vel saltem literas significativas aut legibiles, unde innotescere queat, cuius illud sit, & dicatur *Nicol. Everhard. Consil. 12. n. 3. Surd. Dec. 137. n. 8. cap. inter dilectos extr. de fid. instrum. l. decernimus 9. C. de aqua duct. jung. Menoch. presunt. 57. l. 2. num. 5. & volente sigilli Domino præsumatur appositum Menoch. presunt. 58. Coler. num. 128. Magnif. Dn. Rêcht. vol. 1. Cons. part. 2. Cons. 18. num. 5.* Hinc adeò præcisè necessum esse non existimò exprimere semper duo priora dictorum Authorum requisita, à quo non videtur esse alienus *d. l. Mascard.* qui si non exprimantur dicta tria requisita, intelligere debere nos, asserit, fuisse appositum sigillum ad id, quod natura causæ desideret, quia ex naturâ actûs detur voluntas intelligendi utique si proprium sigillans adhibuit sigillum. Quod si verò alterius usus sit sigillo expressâ opus erit attestatio-

cujus, à quò, & cur alienum impressum sit sigillum. *Menoch. d. presunt. 57. n. 8. & 31.* ratio est, quia sigillum variatum dubiam alioqui rem redderet juxta *l. ad testium 22. §. 5. ff. de testam.* cum sigillari ita scriptura debeat, ut discerni possit, à quò sigillata fuerit: hoc verò satis non appareret, si utens alieno sigillo id non exprimeret. *Menoch. d. n. 31.*

§. 38. Tertium verò requisitum forte semper utile imò necessarium erit exprimi à sigillante Chartam Blancam, cum, uti jam dictum, multis de causis apponatur sigillum, aliquando in signum consensus *c. sine exceptione 12. q. 2. & c. 1. de Procur.* aliquando in signum testimonii *l. Gajus 39. ff. de pignor. act.* aliquando in signum authoritatis *c. cum redemptor. 12. q. 2.* aliquando in signum confirmationis *c. inter dilectos extr. de Fid. Instrum. Menoch. d. pres. 57. n. 10. & constare tamen semper de sigillationis causa debeat, si evitari suspicio falsi velit *Menoch. d. l. sive ex ipsius scripturæ naturâ subjectâque materiâ, vel stylo Menoch. d. l. n. 11. sive ex adscriptione aliquorum verborum juxta sigillum. d. l. n. 9.* Hic verò scripturam sigillatio antecedit; tutissimum ergò semper erit, causam sigillationis sigillo paucis verbis addere, cum etiâ maximè in scripturâ postea confecta alia, quam quæ fuit sigillantis, adscribi causa possit, & hâc ratione periculum & Chartæ Blancæ, pariterq; sigillationis avertere.*

§. 39. Coronidis loco capiti huic adhuc illud addo, sigillum uti aliàs, ita & hîc non præcisè requirere annulum, utpote in quo formale ejus non cõsistit, sed sufficere quodlibet aliud signum notam habens characteristicam & roboratoriam, non obst. *l. 22. §. 5. ff. qui testam. fac. poss. Vid. Magnif. Dn. Struv. Ex. 22. th. th. 10. Ludw. ad §. 5. I. de Testam. ordin.*

CAP.

De Negotiis, in quibus Chartæ blancæ usus esse possit.

Deductis, quæ circa qualitatem subsignationis deducenda videbantur, accingo me ad recensendum negotia Civilia, in quibus Chartæ blancæ usus reperiatur.

§. 40. Et sunt in genere ea omnia, quæcunque inter absentes per scripturam aut literas rectè confici queunt. Confici verò per scripturam aut literas rectè possunt, quæ inter præsentis nudo expediri consensu. *l. consensu 2. §. 1. Et 2. ff. de Obl. Et Act. §. unic. I. de Oblig. ex consens. Nicol. de Passer. à Januâ tract. de Privat. Script. libr. 3. q. 1. p. 184. n. 15. seqq.* illudque tanto magis, quòd in his etiam nutu aliisque signis obligatio contrahitur. *l. 93. §. 1. de Acquir. Hered. l. 95. §. 3. ff. ad Sct. Trebell. nisi aliud ob certas causas introductum sit l. 1. §. 1. ff. de Verb. Oblig. l. 29. C. de Testam.*

§. 41. Illa jam negotia geruntur vel inter vivos, vel mortis causa. Negotia inter vivos, quæ celebrari inter absentes per scripturam aut literas rectè queunt, sunt

I. Pacta, non solùm nuda *l. 2. pr. ff. de Pact.* sed & legitima, ut Constitutum *l. 14. §. fin. ff. de Constitut. pecun. l. Titius Sejo 24. l. quidam 26. ff. eod. Nicol. de Passer. d. l. pag. 185. num. 24. Hypotheca. l. 1. ff. de Pignor. act. l. 34. §. 1. ff. de Pignor. Promissio dotis l. ad exactionem 6. C. de Dot. promiss. conf. l. unic. C. de rei uxor. act. Donatio inter vivos l. absenti 10. ff. de Donat. l. 5. 6. 13. C. eod. Nicol. de Passer. d. l. pag. 184. n. 18. Matth. Cuno de Pact. libr. 1. c. 14. sub init. Et ad dd. ll. Magnif. Dn. Brunnem. Compromissum, Passer. d. l.*

p. 185. num. 25. per l. Publica ff. de pos. in fin. quia & hoc à mera compromittentis voluntate dependet. Vid. l. 5. de Recept. arbitr. & Dn. Tabor. Partit. Element. part. 3. sect. 3. thes. 36. pag. 149.

§. 42. II. Contractus, qui vel nominati sunt, vel innominati. Nominati sunt I. Consensuales, de quibus equidem dubium esse vix poterit, propter expressos & claros textus in d. l. 2. §. 2. de O. & A. & §. unic. I. de Oblig. ex consens. Nicol. de Passer. pag. 184. n. 15. & de singulis insuper consensualium speciebus probari illud ex Legibus nostris potest. De Emptione venditione est l. 1. §. ult. ff. de contrah. emt. vend. l. fin. C. si quis alt. vel sibi. l. 35. §. ult. de V. O. de Locatione conductione est. d. l. 2. §. 2. ff. de O. & A. & d. l. 35. de V. O. l. 1. & 14. ff. locat. l. contractus 24. C. eod. de Societate est. l. 4. ff. pro Soc. & ibi Godofr. lit. F. l. 2. C. de Pact. de Mandato est. l. 1. §. 1. ff. mandat. Cuno de Pact. d. l.

§. 43. Contractibus consensualibus accenseo contractus, qui inter consensuales à Dd. referuntur, e.g. Feudalem 2. F. 26 §. si facta Magn. Dn. Struv. Syntagm. Jur. Feud. c. 8. aphor. 2. seqq. Emphyteuticum arg. §. adeò 3. I. de Locat. conduct. l. 1. C. de Jur. Emphyt. §. unic. I. de Obl. ex consens. d. l. 2. de O. & A. d. l. 24. C. locat. conduct. l. 4. ff. de Pignor. Magnif. Dn. Richt. tr. de Contr. disp. 10. tb. 3. lit. E. Magn. Dn. Praeses Patronus atque Praceptor etatem mihi devenerandus in Not. ad Suthold. diff. 15. apb. 53. & sim. quibus addo contractum Adsecurationis, Bancae, Cambii.

§. 44. 2. Literarum obligatio, quæ & ipsa inter absentes omnino celebrari poterit: quâ enim facilitate quis pecuniæ oppressus necessitate praesenti v. g. mercatori ut facilius ad mutuandum eum inducat anxietate consequendi pecuniam Chirographum offert, quo mutuam se pecuniam

niam ab eò accepisse confiteatur, quæ tamen numerata nondum est; eadem etiam facilitate absenti urgente eum necessitate tale Chirographum mittet.

§. 45. 3. Verborum obligatio, de quâ, ut &, quæ ab eâ pendet, fidejussione, an & hæc literis inter absentes valide contrahi possint, forte non abs re dubitari potest. Et ex ratione atque rigore Juris Civ. non nisi verbis inter præsentem uti stipulatio. *l. 1. ff. de V. O.* ita & fidejussio fieri possunt. *l. 8. ff. de Fidejuss. l. 12. C. eod. Nicol. de Pass. l. 3. p. 224. q. 3. per tot.* Si verò mores attendamus hodiernos, quibus tantum non obsolevit stipulatio & in pactum nudum degeneravit teste *Wissenb. vol. 2. disp. 27. th. 1. Dn. Brunnem. ad l. 1. D. de Contrab. & Committ. stipulat.* affirmare illud haut absurdè poterimus. Neque omnis deest ratio, siquidem non minus in conventionibus & negotiis valet, quod scripturâ, quam quod vocibus lingvâ figuratis significatur. *l. non figura 38. ff. de O. & A.* & ubique non secus ac præsens præsentem loquitur scriptura. *l. 75. pr. ff. de Legat. 11. l. 77. §. 26. ff. eod. Nov. 44. in præfat. verb. quæ Charta Nov. Leon. 26. in fin.* imò adsunt exempla in Legibus nostris, quibus inter absentes per literas facta videtur stipulatio, ut in *l. ea, quæ 57. ff. de Donat. inter vir. & uxor. l. 24. ff. de Fidejuss. l. 22. C. eod. Conf. Hering. tr. de Fidej. c. 11. n. 76. seqq. Treutl. vol. 2. disput. 28. th. 4. lit. A. Magn. D. Struv. Ex. 47. th. 37. Ludw. ad §. ult. I. de Fidejussor.*

§. 46. 4. Contractus reales; qui, quandoquidem nudâ inter absentes per literas factâ conventionem non absolvuntur, utpote ex quâ in nudi pacti finibus subsistente neque actio datur, neque exceptio, *l. 7. §. 1. de Pact. l. 30. ff. de Reb. Cred. l. 11. ff. qui pot. in pign. sine traditione rei;* ideò sub hæc demum conditione literis inter absentes

celebrari validè poterunt, si ad plenam rei constitutionem & acquisitionem accesserit traditio. De Depositò in specie est textus in *l. 1. §. 11. & l. 26. §. 1. & 2. ff. de pos.* quò minus verò de cæteris Contractuum realium speciebus idem statuendum sit, nihil impedit.

§. 47. Contractûs innominatos, quia pariter reales omnes sunt, & interventu rei perficiuntur. *l. 7. §. 2. ff. de Pact. l. 1. §. 2. verb. ex re traditâ ff. de Rer. Permutat. Wiss. Comm. FF. vol. 1. disp. 38. tb. 1.* exemplo realium nominatorum sub laudatâ restrictione literis inter absentes rectè fieri existimo.

§. 48. III. Jura incorporalia, ususfructus, servitutes & alia. *l. 54. ff. de usufr. l. 2. C. eod. l. 15. l. 16. usufr. quemadm. amitt.* sub eadem tamen iterû limitatione, quam Contractibus realibus nominatis, & Contractibus innominatis adjeci. Hoc verò in singulis horum negotiorum attendendum est, quod cum moribus nostris ex nudo pacto detur actio, pleniori jure vel ad implementum contractûs, vel ad indemnitatem nobis præstandam nunc agi posse, subtilitate Juris Civilis, ne inanibus promissis ludificemur, explosa. *B. Dn. Hahn. ad Wesenb. tit. de Pact. n. 8. verb. Jur. Pontif.*

§. 49. IV. Alia promiscuè negotia, qualia sunt Cessio jurium & actionum. *l. 1. ff. mandat. Joh. à Sande de Act. Cess. c. 2. n. 10. Bicc. vol. 1. Conf. 65. n. 4. & per tradita Magnif. Dn. Brunnem. tract. de Cession. Act. c. 1. n. 2. & 6. Transactio. l. 17. C. de fid. instrum. Constitutio Procuratoris. l. 65. ff. de Procur. Clem. 1. de Procur. in 6to Passer. d. i. pag. 185. n. 23. Aditio hereditatis ejusque Repudiatio. §. ult. I. de Her. qual. & diff. l. 50. l. 88. l. 20. pr. ff. de acquir. her. Sponsalia. l. fin. ff. de Sponsal. Pass. pag. 186. n. 31. Matrimonium. l. 5. ff. de Ritu nupt.*

§. 50. Actus mortis causa sunt voluntates ultima, quæ perfectæ, quæ imperfectæ, de quibus an literis inter absentes expediri possint, sollicitus esse vix habeo. Cum enim à privatorum non dependeant pactioibus, sed formam & ordinationem solennem à Jure sortiantur, adeoque publici juris sint, mutari certè non poterunt *l. nemo potest 55. de Leg. 1. l. 35. C. de Inoff. Test. l. 16. C. ad SCt. Trebell. 1. C. de Usufr. l. 52. ff. de pact.* adeoque nec literis inter absentes cum effectu perfici. *l. literæ 17. ff. de Jur. Codicill.* ubi dicitur: literas quibus hereditas promittitur, ne vim quidem Codicillorum obtinere. Rectè tamen Fideicommissa & Legata per Epistolam relinquuntur. *l. miles 75. l. cum pater 76. §. donationis 26. l. fin. pr. ff. de Legat. 11. l. 75. pr. ff. ad SCt. Trebell. l. unic. §. 1. C. de lat. lib. toll. l. §. in Epistolâ 22. C. de Fideicommiss. §. ibi Magnif. Dn. Brunnem. Nicol. de Passer. p. 186. n. 30. Mantica de Conject. ult. vol. l. 1. tit. 11. n. 5. B. Ludw. tr. de ult. vol. part. 2. c. 5. p. m. 427.*

§. 51. De mortis causa Donatione non improbabili- ter quispiam dubitaverit, an illa fieri per Epistolam possit; cum mixtæ videatur naturæ, partim ad ultimas voluntates, partim ad actus inter vivos inclinans, ut monet *ex Petro de anchoran. Consil. 385. B. Dn. Lud. d. tract. p. m. 436.* saltem ratione initii. *B. Dn. Habn. ad Wesenbec. de Mort. caus. don. num. 4. verb. videtur ergò Jul. Clar. §. donatio quest. 5. & nudo quoque consensu perficiatur, l. 35. C. de donat. Jul. Clar. d. §. q. 14. n. 2. Dn. Habn. d. l. verb. etiam per Procura- torem. Ludw. d. l. pag. m. 438. Matth. Berlich. part. 3. con- clus. 2. num. 2.* Et verò quatenus secundum *l. ult. C. de Mort. caus. don.* ordinata inter ultimas voluntates ab Imperato- re Justiniano relata est, legatisque fere per omnia exæqua- ta. *d. l. ult. §. 1. I. de Donat. §. ibi B. D. Ludw. num. 1. Ma-*

*Magnif. Dn. Brunnem. ad l. 2. C. de Mort. Causs. donat. & in vim
 fideicommissi ac legati valet. l. 75. l. 77. §. 26. ff. de Legat. 2.
 Magnif. Dn. Struv. Exerc. 40. th. 25. B. Dn. Carpzov. l. 5.
 Resp. 62. t. 7. num. 16. B. Dn. Ludw. pag. 439. d. tr. Habn. d. l.
 eatenus sane opus adminiculo literarum non habet, et-
 iam si absens sit donatarius; quia ut alia ultimæ voluntates,
 nec mutuum consensum, nec acceptationem, nisi ab aditâ
 aut repudiatâ hereditate desiderat: Quin tamen hoc etiam
 casu fieri literis rectè possit non dubito, quia legata & fi-
 deicommissa possunt, uti supra probatum, donatio verò
 mortis causa iisdem adæquata est *per jam dict.* Quatenus
 verò in formali suâ persistit ratione, nec semper in legatum
 degenerat, sed certos suos à legatis difformes habet effe-
 ctus. *Vid. l. 5. §. 17. de bis, que ut indign. l. 11. ff. de Inoff. Testam.
 l. 1. §. ult. l. 2. de Publ. in rem act. l. 25. §. ult. ff. de Mort. Causs.
 donat. & c. Magn. Dn. Brunnem. ad d. l. 2. C. eod. Schneidw.
 Comm. Inst. tit. de Donat. §. 4. n. 24. vers. in plurib. autem &
 nudâ quoque conventionem fieri hodiè potest. §. alia I. de
 Donat. l. 35. §. ult. C. eod. B. Dn. Habn. d. l. verb. etiam per Pro-
 curatorem. B. Dn. Ludwell. d. tr. p. 438. Berlich. part. 3. concl.
 2. n. 2. & voluntate donatarii sive acceptatione, non secus
 ac donatio inter vivos etiam in testamento facta opus ha-
 bet, aded, ut nec adjecta quidem Clausula Codicillaris effi-
 ciat prævalere tale relictum jure donationis mortis caus-
 sa. Habn. d. l. Berlich. d. l. num. 3. Carpzov. d. l. n. 16. eatenus
 ut de Consensu Donatoris & Donatarii constet, absenti fa-
 cta mortis causâ donatio, nemine absentis nomine reci-
 piente per nuncium aut literas specialiter ad hoc missas
 denunciari optimè poterit. B. D. Habn. cit. sæpius loc. Ludw.
 pag. 438. 39. Berlich. d. l. num. 4. Job. de Lugo, de J. & J. disp. 24.
 sect. 15. n. 318.**

§. 52. Et hæc sunt potissima, quæ ut literis inter absentes celebrari, ita Chartæ blancæ inscribi possunt, negotia: plura videantur in *Tr. Nicol. de Pass. à Januâ de Priv. Scriptur. tot. libr. 3.* In terminis verò, quod Procuratorium albo folio possit inscribi tradit *Tuschus lit. F. concl. 409.* quod mutui accepti instrumentum in arbitrium Creditoris conferri, ut Clausulas, quas velit apponat, habet *Besold. in Delib. Jur. pr. 2. fol. 50.* quod fidejussio per subscriptionem animo fidejubendi factam contrahi *Hering. de Fidej. c. 11. num. 101.*

§. 53. Non condemnendum quoque Charta blanca usum habet in negotiis causisque publicis. Sic enim sæpiusculè Principes Legatis suis, quoties intricata res & anticipis consilii ac propemodum deposita atque desperata est, ut certus eidem dari modus & medela *Höpping. tr. de Jur. Sigill. c. 6. n. 104.* adeoq; certi quid scripto complecti nequeat *F. F. de Legat. c. 3.* dare Chartam blancam solent, sua manu subscriptam cum plenâ potentiâ pro lubitu formandi mandatum *Hottom. d. l. Besold. tr. de Leg. c. ult. n. 4. Berl. part. 1. concl. 14. n. 91. Bortius apud Arumaum, tom. 1. discurs. 14. tb. 8.* ubi *Güntbero* cognitum hunc morem fuisse probat ex libr. ejus 3. in *Ligurino*:

Impresso plurima signo

Deprensa est vacuis apud illos pagina Chartis.

Hoc verò periculo non carere, sed ansam præbere fraudibus prudenter *d. l.* monet *Besold.* ut & in *Thesaur. suo Pract. voce nostrâ*, ubi lubnedit ex *Caranz. tract. de Concil.* conquestos in Concilio Calcedonensi esse Orientales, quod in Synodo Ephesinâ 2. coacti in purâ subscribere Charta fuerint. Sic etiam Principes profecturi relinquere Officialibus suis Chartas blancas solent pro negotiis repentè con-

tin-

tingentibus, nullamque temporis dilationem patientibus
 eo commodius expediendis *Mager. dict. tract. § cap. n. 87.*
 quod itidem periculum secum non exiguum ferre, vel ex
 unò illò à *Mager. d. l. ex Paul. Fufci Singular. verb. subscri-*
bens relato Exemplo satis elucescit. Quo Ferdinandus Dux
 Mantuæ Gubernator Ducatûs & Statûs Mediolani in Pe-
 demontanam Regionem Exercitûs Imperator profecturus
 requirenti Tabernæ magno ejus Ducatûs Consiliariò pro
 negotiis ex improviso obvientibus moramque nullam
 ferentibus citius expediendis aliquot alba folia relinquens
 per fraudes Tabernæ in unò dictorum foliorum literas, quæ
 affectare se Ducem Statûs Mediolani fieri continebant, ad
 Fratrem Fridericum Ducem Mantuæ fingentis, easdemque
 Carolo V. Imperatori deferentis suspectus admodum Cæ-
 sari redditus est. Sed detectâ fraude Taberna condignas
 scelere carceris perpetui in Arce Mediolanensi pœnas de-
 dit. Ut hinc observatu dignum sit monitum *Höpinkg. d.*
cap. 6. num. 90. seqq. Chartam blancam non facile Principes
 Officialibus suis relinquere debere, & *Herm. Hugon. de*
Orig. scribend. fol. 183. Daß die Fürsten nicht leicht sollen
 was unterschreiben/was sie nicht zuvor gelesen. Quod
 idem *Magerus cum d. c. 9. n. 83. antecedente* asservisset Advo-
 catiam armatam contrahi per Subscriptionem Tabularum
 protecticiarum animo obligandi factam *n. subsequente*
86. ex Aretino in l. si ita stipulatus 126. §. Chryfogonus num. 6.
ff. de V. O. seriò inculcat, quando singulatim Protectori-
 bus cavendum ait, ne facile relinquunt suis Officialibus, vel
 aliis Chartam blancam sigillis manibusve suis munitam,
 cum pacta forsan insolita in eandem conjici, magnumque
 inde iis præjudicium enasci possit. Sic etiam aliquando
 à populò vel subditis Charta blanca publico Communitatis
 sigillo

figillo corroborata Principi traditur, ut si pecuniâ publicâ indigeat, illâ utatur, & exigente publico bono aliquam pecuniâ summam mutuo sumat. Ex quò Principis deinde contractu subditi ad solvendam illam pecuniam mutuo acceptam obligati sunt. Uti in Cam. Imper. receptum, & in causâ Leodicens. Episcopi contra Annam de la Vienne Viduam Matthiæ Henrici 12. Octobr. Anno 581. in causâ Litsbeck contra Ducem Sachsen-Lauenburg / & in causâ Weissenburg contra Sachsen-Lauenburg pronunciatum fuit. *Conf. Roland à Valle Conf. 66. n. 38. vol. 3. Conf. 350. n. 28. v. 4. Cravett. Conf. 241. n. 1.*

CAP. V.

De Effectu & Fine Chartæ
blancæ.

Recensitis, in quibus Chartæ blancæ dari usus possit Negotiis potissimis, rectâ jam viâ duce methodo præmissâ ad explicandû Chartæ blancæ effectû & finem progredior.

§. 54. Uti verò regulariter sola per se nullam fidem contra scribentem facit scriptura privata. *l. rationes 6. l. exemplo 7. l. instrumenta 8. C. de Probat. l. scripturas 11. C. qui pot. in pignor. Köppen. dec. 46. n. 22. 23. Coler. de Process. Execut. cap. 1. part. 3. n. 93. Nicol. de Passer. de Privat. Scriptur. libr. 1. q. 8. pag. 81. n. 2.* sive illa ab eò tota errata sit, sive ab aliò confecta, ab eò verò subsignata solum, aut signata nomine proprio fuerit; nisi constet, quod ipsius ista sit scriptura vel sigillum: *Magn. Dn. Struv. Exerc. 38. th. 24.* ita & in Chartâ blancâ conscriptum negotium contra subscribentem aut sigillantem parum quicquam militabit, nisi prius de manu & sigillò ejus apparuerit.

E

§. 55.

§. 55. Constat verò de iisdem I. Legitimâ recognitione, quæ, usu quidem potissimum introducta *Rutger. Ruland. tract. de Commiss. part. 2. l. 5. cap. 39. pr.* non tamen omnino Juri Civili incognita, quod testantur. *l. 56. ff. de Reb. auth. jud. poss. l. 11. de Except. l. 65. ff. de Procurat. Novell. 73. cap. 1. Coler. d. l. num. 98. Carpzov. in Process. tit. 14. art. 2. §. 1. n. 9. Magnif. Dn. Brunnem. Process. Civil. c. 19. n. 30.* est confessio quædam, quâ Scripturam quis aut sigillum in judicio contra se producta sua esse agnoscit. *l. 25. §. ult. ff. de Probat. d. l. 11. d. l. 6. Coler. d. num. 98.* Estque adeò necessaria, ut licet producens eam haud expressè petierit *B. Dn. Carpzov. d. l. num. 12. seqq.* imò renunciaverint invicem ei litigantes, omittenda tamen non sit *d. l. Carpzov. num. 72. §. part. 1. Const. 17. Def. 23. contra Col. d. l. n. 137.* Recognoscenda sunt instrumenta non solum à parte conscripta, sed & subscripta saltem aut sigillata *Proc. Frider. part. 1. c. 53. n. 7.* de Jure Communi quidem tantum privata, non etiam publica, quia hæc per se plenam merentur fidem, adeoque adminiculo recognitionis opus non habent. *l. 10. ff. de Probat. l. 31. de Donat. Magnif. Dn. Struv. Exercit. 28. tb. 30. Dn. Wiss. vol. 1. disp. 43. tb. 21. Berlich. part. 1. concl. 44. n. 31. seqq.* Moribus verò Saxonice Electorali lege confirmatis (*vide tit. 25. Ordin. Process. Jud.*) etiam publica recognoscenda sunt. Potest recognitio fieri etiam per Procuratorem speciale tamen mandatum habentem *Ruland. de Commiss. part. 2. l. 5. c. 39. num. 4. Berlich. Conclus. 44. num. 17. 18.* nec subditi aut cognati sine speciali mandato, ne quidem cum cautione rati admittuntur, quia illa secundum *Dd.* communiter defectum mandati specialis non supplet. *Frider. Process. d. l. n. 6. cui jung. cap. 7. num. 47. per l. 27. pr. de minor.* Quia verò periculosum est recognoscere per Procuratorem

Re-

Rebuff. de Sched. recog. num. 59. (nam si confitetur, generat præjudicium Domino; si negat se scripturam aut sigillum nosse, ut ejus esse, cujus pars esse affirmat, non valet, sed Dominus aut recognoscere, aut ipse juramento diffiteri cogetur, uti in praxi servari tradit *Moller. l. 4. Semestr. cap. 43. num. 3.*) hinc Procuratori, cui manus & sigillum Domini incognita, tempus petenti, ut consulat suos Principales, illud conceditur, ut factum in causâ **Paul Grafen zu Solm** contra **Pfalz-Grafen George Hansen.** Anno 1575. *Ruland. d. c. n. 18.* Formam recognitionis prolixius exhibent *Coler. d. num. 104. & mult. seqq. Berlich. d. conclus. 44. n. 3. seqq. Carpzov. d. Constit. 17. Definit. 12. & in Proc. d. art. 2. num. 61. seqq. Process. Frider. d. l. num. 8.* quo me brevitatis studio remitto. Breviter verò consistit in eò, ut recognoscens non tantum manum, & sigillum pro suis, sed & obligationem pro suâ agnoscat *Magnif. Dn. Brunnemann. Process. Civil. cap. 19. num. 37.* Sigillum verò cum voluntate sua appositum esse, necessarium non est, ut simul dicat *Coler. d. l. num. 128. seqq. Carpzov. d. part. 1. Const. 17. Def. 16. num. 3. seqq.* Mediante juramento ex communi Dd. sententiâ recognitio fieri debet, *Berlich. d. l. num. 44. Ruland. d. c. 39. num. 12.* Jure tamen Saxonico simplici recognoscentis adsertioni credi, attestatur idem *Berlich. n. 45. & in Camera ordinariè absq; juramento fieri recognitionem. Ruland. num. 11.* qui tamen aliquando & in Camera ratione recognitionis juramentum interponi. *num. 14. seqq.* præjudiciis ostendit. Protestatio de recognoscendo adjecta recognitioni utpote facto contraria nihil operatur. *Carpzov. d. Def. 16. num. 5. in Process. d. t. 14. art. 3. n. 21. arg. l. 21. pr. ff. de Acquir. Hered.* at illa, quâ salvis exceptionibus suis quis recognoscit, inutilis non est, sed efficit, ut factâ recognitio-

ne prius super exceptionibus cognoscatur. *Berlich. part. 1. conclus. 89. n. 97. Magn. Dn. Brunnem. d. c. 19. n. 35.* qui ibidem subdit, Clausulam illam, salvis Exceptionibus semper subintelligendam videri. Facta legitimè recognitio plenam fidem tribuit, loco litis contestationis affirmativæ est, vim confessionis habet cui omnino standum est. *l. cum de Indebitò 25. §. ult. ff. de Probat. l. plures 19. C. de Fid. Instrum.* atq; in summariis & executivis processibus continuò executionem producit. *Vid. Ruland. d. c. 39. n. 2. Proc. Frid. d. l. n. 11. & ibi allegat.*

§. 56. Meminerit ergò (sunt verba *Heringii tractat. de Fidej. c. 11. n. 103.*) Judex, si controversia de Subscriptione aut Sigillatione fortè oriatur, aut vacua saltem, sed tamen sigillata & subscripta Charta, (quam vulgò *Blanketh* appellamus) sit data, ut postea obligatio in eà scriberetur, (ut in *Casu Francif. Pfeil. Consil. 39. part. 1.*) ut subscribentem & sigillantem ad recognitionem citet; nam exempla obvia sunt, quod nonnulli aliorum manus fuerint imitati sigillaque illorum interceperint, & sic fraudem commiserint, illud exigentes, quod nunquam crediderant. *Authores ab eò allegati, quib. jung. exempla à Magerò d. c. 9. num. 84. seqq. Menoch. A. I. 2. cent. 2. libr. 2. cas. 114. n. 15. Coler. d. l. n. 96. adducta.* Et hæc Chartæ blancæ recognitio expressè injungitur in *Jure Württembergico part. 1. t. 34. §. 4.* qui ita habet: *Es sollen auch kundliche Handschriften / darinnen Ursachen derselben vermeldet / wider den / so die geschrieben / Beweisung thun / welches auch statt haben soll / wenn einer schon den ganzen Brieff nicht eben selbst / sondern allein mit eigenen Händen unterschrieben / oder sein Pitschafft fürgedruckt und angehenckt / iedoch sollen keine Sigillen, so auff Charta blanca gedruckt oder dran gehenckt*

henckt / ehe und denn selbige ausgefertigt oder über-
 schrieben werden / noch auch die Unterschriften derselben
 für kräftig gehalten werden / es wäre denn der geschrie-
 bene Inhalt / durch denjenigen / so sich unterschrieben / od-
 sein Sigill aufdrucken oder anhencken lassen / bekant / u.
 angenommen / *referente Additionatore Wehneri in voce*
Blankhet. Quo etiam pertinet, quod *Chilian. König in*
Process. suo cap. von dem Siegel und seiner Beweisung 90.
n. 6. scribit: Wo ein Siegel oder Pitschaft auf ein Charta
 oder Membran gedruckt wird / daß darauf oder darein
 möge geschrieben werden: Diese Versiegelung ist nicht
 ohne Argwohn des Falsches / hat wenig auf ihr / die
 Schrift werde denn von dem Hn. des Siegels genömen.

§ 57. Cæterum non ita præcisè is, contra quem do-
 cumenta producuntur, ad recognitionem eorundem ob-
 strictus est, sed declinare eandem jure potest, si juratò dif-
 fiteri instrumenta, quam recognoscere malit. Detrectans
 itaque recognitionem, vel quod falsam existimet scriptu-
 ram, vel non noscat, audiendus juramento suo est, imo te-
 netur illam diffiteri, si pro recognito instrumentum judi-
 cari nolit. *Dan. Moller. l. 4. Semestr. 43. n. 2. ex Observantiâ*
& Consuetudine in Ford Saxonicò inveteratâ Electorali-
que lege disertè corroboratâ. (vid. Ordin. Process. Judic.
tit. 25. §. Weil es auch.) Juramentum diffitentis vel verita-
 tis est, vel credulitatis, prout propriam vel alienam quis
 scripturam diffitetur *Carpz. Decis. Illustr. Saxon. part. 1.*
Decis. 38. num. 5. 6. 8. Contra instrumenta publica diffessio
 jurata locum non habet. *Magnif. Dn. Brunnem. d. c. 19. n. 35.*
 Fieri potest per ipsum tantum Principalem, non Procura-
 torem vel Curatorem. *Berlich. d. conclus. 44. n. 20.* adeò, ut
 nec foeminae parcendum sit, si Curator Scripturam vel Si-



gillum ejus productum negaverit, quia in foro Saxon. Juramentum quodvis in propriâ personâ est præstandum, nec admittitur Procurator vel Curator jurare volens, quamvis speciale ad hoc mandatum habeat *LandR. l. 1. art. 46. vers. Wo es aber Wesenbec. in addit. ad Schneidw. §. item si quis postulante n. 107. I. de Action. Conf. Magnif. Dn. Struv. Exerc. 17. tb. 17.* tutor tamen juratò diffiteri nomine pupilli potest, quia & alia Juramenta Legalia præstare solet, ut probat *Berlich. part. 2. dec. 164.*

§. 58. Quodsi verò usque adeò contumax sit, contra quem producta documenta sunt, ut nec recognoscere eadem nec diffiteri jurato velit, aut per contumaciam differat, manus & sigillum ejus pro recognitis habentur, causa ex officio pro conclusa acceptatur, & reus ad solutionem definitivè condemnatur ex Practicâ Juris Saxon. *Berlich. d. concl. 44. n. 59. & ab eò allegat. & Camerae Spir. Gail. l. 1. de P. P. c. 15. n. 15. Dn. Brunnem. d. c. 19. n. 38. 39.* quo pertinere videtur. *R. I. noviss. §. Hätte denn der Kläger ibi: auch in puncto recognitionis auf des Klägers Erfordern sich der Gebühr recognoscendo vel diffitendo unter gewöhnlichem Präjuditz und Strafe des Procuratoren vernehmen lasse.* Illud tamen *Gail. n. 16. & Berl. ex eò n. 60. 61.* limitant, si causæ magnitudo & personarum qualitas aliud svadeant, ubi sigilla per comparisonem vel alio legitimo modo probanda sint, quia causæ graves criminalibus æquiparentur. Punitus verò ita contumax in expensas condemnandus non est, ne propter unicum delictum duabus quis poenis affligatur contra *l. 24. C. de Pæn.* imò exceptiones suas peremptorias, nihil quicquam obstante, quod documenta pro recognitis habita fuerint salvas retinet *B. Dn. Carpz. part. 3. Decis. 235. n. 15. seqq.* Non enim major recognitioni fictæ, quam

quam vere attribuendus effectus est, cum fictio idem non etiam plus, in casu ficto, quam veritas in casu verò opere-
tur *l. unic. in pr. C. de rei Uxor. act. l. cum ex oratione 44. ff. de Excus. tut. l. 1. ff. de adopt. post factam vero recognitionem reus exceptionibus suis peremptoriis auditur, quia nunquam aliter quam salvis exceptionibus recognoscere censetur Dn. Carpzov. d. dec. n. 18. 19. qui sub finem tribus hanc rem præjudiciis, duobus Senatus Appellat. tertio Scabinorum Lipsiensium corroborat.*

§. 56. Constabit II. de Manu sigillove alicujus per testes i. Recognoscentes vel ipsum instrumentum productum; (in arbitrio enim producentis est, an documenta contra aliquem producta diffessionem ejus juratæ submittere, an verò si de Perjurio suspectum eum habeat, per testes juratò recognosci facere velit. *l. 9. C. de Testib. Ruland. d. l. num. 24. seqq.*) ubi mediante juramento *Ruland. d. c. 39. num. 24. seqq.* de Manu Scribentis testificari, & se fuisse præsentem, & vidisse cum id de quò agitur vel quæritur, scriberetur, dicere tenentur *Novell. 73. c. 1. Ruland. d. c. 39. n. 32.* qui ab hâc sententiâ tanquam communiore recedendum non esse dicit. *Conf. Berlich.* qui in praxi prævalere eam adferit. *d. cap. 44. n. 22.* vel manus atque sigilla sua documento productò subnexa, ad quæ recognoscenda citari possunt, *l. cum ab initio 4. ff. testam. quemadm. aper. Berlich. d. concl. 44. num. 21.* Et siquidem simul partes subscripserint, atque figillaverint, tres adhibiti testes, qui recognoscendo fateantur se subscripsisse, & debitorem scripsisse ipsi videntibus ac præsentibus omnem fraudis atque erroris cessare suspicionem faciunt, adeò ut literarum opus comparatione haud sit. *Coler. num. 138. 139.* Si verò subscripta saltem sit scriptura à testibus, se de consensu & ad requisitionem præ-

præsentium partium subscripsisse instrumento, de cujus fide nunc dubitatur, affirmantibus; à partibus verò neque scripta, neque subscripta: tunc recognita à solis testibus plenam fidem faciet, si justus numerus sit testium, duorum scil. in contractibus. *l. ubi numerus 12. de Test.* quinque regulariter in ultimâ voluntate. *l. fin. C. de Codicill. l. fin. C. de Mort. caus. donat.* & accedat comparatio literarum ejus, qui dicitur talem scripturam præsentibus partibus conficisse. *Coler. n. 142. 143.* Permissum verò parti adversæ est Interrogatoria tam generalia, quam specialia proponere, modo formam concernant *Carpz. d. Const. 17. Defin. 14. n. 5.* & hæc propria testium recognitio est, *Nicol. de Passer. pag. 82. n. 5. 2.* Per testes probantes, qui scil. jurato de Contentis instrumenti deponant, quod sciant veritatem contentorum in tali scriptura, v. g. quia viderunt Creditorem numerare Cajo in causam mutuî centum, quæ ordinaria est & legitima per testes probatio *Passer. d. l. n. 4. § pag. 122. n. 1. Coler. d. l. n. 141.* cum hoc casu non ipsum instrumentum, sed testes arguant negotii veritatem, adeoque non probet scriptura, sed contentum in eâ probetur. Et hic plenè probant testes absque alio adminiculo subscriptionis aut comparationis literarum.

§. 60. III. Constat etiam de Manu Sigillove alicujus per comparisonem literarum, quæ est remedium Extraordinarium, quò Judex adhibitis Notariis & peritis de credulitate jurantibus literas instrumenti dubii cum literis alicujus instrumenti liquidi, quod manu illius subscriptum esse constat vel ex testium adsertione vel aliunde, confert. *Magnif. Dn. Brunnem. dict. cap. 19. num. 19.* & suscipitur tantum eo casu, quando id pars petit, documentum non potest recognosci, petens aliis probationibus desti-

stituitur, & is juramentum Calumniæ præstiterit. *Nov. 73. c. 7. §. fin.* Ex quâ comparatione quando plena aut semiplena exsurgat probatio optimè annotavit *Alexand. Trentacinqu. l. 2. tit. de fid. instrum. resol. 7.* ad quem, ne justo sim prolixior, ut & in universum de hâc materiâ *ad Matth. Steph. in Nov. 73. n. 25. seqq. Menoch. l. 2. cent. 2. cas. 114. A. I. Q. & copiosè allegatos in Process. Frider. d. part. 1. c. 53. n. 14. B. L. remitto.* Hoc saltem adhuc addo, rariùs hodiè fieri comparationem literarum, sed solere Instrumenta recognosci per testes, quibus defuncti manûs & sigilla cognita, & perspecta fuere, quam Practicam à *B. Dn. Carpzov. part. 1. Const. 17. Defin. 14.* traditam approbat *Magnif. Dn. Brunnem. in Process. Civ. d. c. 19. n. 21.*

§. 61. Postquam igitur relatis modis de Manu Sigillove subsignantis Chartam blancam legitimè constiterit, impedimento jam effectui exinde resultanti amplius nihil erit, quin conscripta in tali Chartâ blancâ vi subscriptionis & sigillationis suæ obligent subscribentem & sigillantem, contra eum probent, ipsique præjudicent *Zahn. de Mendac. libr. 2. cap. 21. n. 2. Pfeil. n. 3. d. cons. 39. Finckelth. d. Obs. 8. ab iisq; allegati: quicquid contra moliantur à Berlich. part. 1. concl. 14. 94. & concl. 44. n. 11. Zahn. d. l. & Finckelth. d. l. n. 6. laudati.*

§. 62. Non tamen protinus obligabitur talis subsignans, cum scriptum est, ex quò tenorem scripturæ postea subsecutæ non inspexit, ac verisimiliter nondum cognovit *l. fin. C. plus valer. quod agit. ibiq; Magnif. Dn. Brunnem. Innocent. in c. 2. extr. de Fid. Instrum. cap. præsumitur 47. de R. J. in 6to. Mager. d. d. c. 9. n. 86. Webner. d. l. Pfeil. d. l. n. fin.* hic enim certè nec obligatus esse dicetur *l. filius. 8. §. 1. ff. de Procurat. l. distrabente 2. C. de Reb. alien. Carpzov. part. 1. Const. 17. Defin. 42. num. 4. Suttinger. observ. 71. n. 1.* quia saltem dubitabit de insertis tali Chartæ blancæ; dubitantis verò nullus censensus, quippe qui

erranti & ignoranti æquiparatur *l. fin. C. de Condict. in deb. l. fin.*
§. 2. C. de Furt. Coler. d. tr. part. 1. c. 3. n. 106. adeoque contenta
 in scriptis non censebitur approbasse, nec sibi ac si ipse scripsis-
 set, præjudicabit *Oldrad. Conf. 329. n. 10. Bart. in l. quæ totis. n. 29.*
 & ibi *Bolognet. n. 139. ff. solut. matrim. Felin. in cap. quoniam num.*
48. de Probat. Menoch. d. præsumt. 57. n. 21. cum ratificatio non
 præsumatur facta, nisi de his, quæ lecta, cognita, & rectè intel-
 lecta fuerunt à ratificante *Oldrad. d. Conf. 329. col. ult. Cravetta.*
Conf. 120. n. 14. Menoch. d. Præf. 57. n. 22. Quod diligenter notan-
 dum secundum *Jason. in d. l. si ita stipulatus. §. Crisogonus. Mo-*
dest. Pistor. vol. 1. Conf. 37. n. 1. & Schneidw. Comm. Instit. t. de Emt.
Vend. in pr. n. 9. pro Dominis & Principibus, qui schedulis va-
 cuis subscribere, aut sigillare tales solent, quod non intelli-
 gantur ea, quæ postea scribuntur confirmasse, nisi habuerint
 eorum notitiam. *add. Menoch. d. Præsumt. 57. n. 11. & l. 2. A. Q-*
cent. 2. cas. 113. n. 5. Ruland. de Commiss. part. 2. l. 5. cap. 30. lit. G. n.
4. Purpurat. in l. admonendi. n. 177. ff. de Jurejur. Angel. in d. l. si
ita stipulatus §. Crisogonus Paul. Fufe. in singular. verb. subscri-
bens. Quandoquidem verò subscribens instrumenti cui sub-
 scripsit tenorem, non ignorasse, sed inspexisse, atque cogno-
 visse præsumitur *Bart. in l. 1. §. si quis negat. ff. quemadm. testam.*
aper. vers. quero quid si instrumentum. Bald. in l. non est feren-
dus de Transact. ideo allegans contra hanc juris præsumptio-
 nem ignorantiam, legitimis eamque præsumptionem ever-
 tentibus documentis ostendere illam tenebitur *Pfeil. d.*
Conf. 39. n. 3. Menoch. dd. loc. Ruland. d. l. qui rursus de Principi-
bus ex alleg. Purparato adferunt idem, quod jam dixi, esse præ-
sumtionem contra Principem, quod viderit & legerit scripta
in papyro à se priusquam scriberentur, sigillata, ideoque onus
probandi, quod ignoraverit, neganti incumbere. Illa verò
probatio non attenditur tunc, quando subsignans Chartam
 blan

blancam per scriptam sine contradictione ad se recepit, & per
 nes se habuit, ut inspiciendi & cognoscendi facultas eidem fu-
 erit; sed hoc casu inspexisse cognovisseque præsimitur *l. 2. §.*
inspectios. ff. quemadm. testam. aper. adeoque consensisse & ap-
probasse quod scriptum est, existimatur l. fin. ff. quand. appel-
land. sit. l. si filius. 16. ff. ad SCt. Maced. Gloss. in cap. 1. de Procur.
 non obstante illa ignorantia allegatione: Reprobatur enim
 allegatio ignorantia ejus, quod quis cum scire debuit, in ma-
 nu sua habuit, ut perquirere vel per se, vel per alium potuerit.
l. quisquis. 15. C. de Rescind. Vendit. Clem. 1. in fin. de Concess. pre-
bend. Pfeil. d. l. n. fin. Mager. d. l. n. 68. Webner. d. l. Ruland. d. n. 4.
lit. H. qui allegat ibidem Bertachin. de Episc. n. 26. Petr. Caballin.
Consil. 11. Thesaur. sui Executiv. part. 3. cap. 65. §. 1. Quin eo ipso,
 quo quis passus est alterius scriptione repleti Chartam blan-
 cam à se subscriptam aut sigillo suo munitam, in scriptionem
 illam omniaq; contenta consensisse eaq; approbasse censetur,
 quia patientia consensum & rati habitionem inducit. *l. 28. pr.*
ff. de V. S. Carpz. part. 1. Constit. 17. Defin. 42. n. 6. Finckeltb. n. 16. d.
Observ. 8.

§. 63. Receptum est non tantum in Forò Saxonico, sed
 passim, ut ex Instrumento liquidò (quod nã illud sit. *Vid. B. Dn.*
Carpz. libr. 4. Resp. 9. tit. 1. n. 14.) parata detur executio, cognitio
 de super instituenda sit summaria, atq; exceptiones altiore
 indaginem requirentes ad iudicium reconventionis remit-
 tantur. *Magn. Dn. Brunnem. Process. Civil. cap. 1. n. 49. cum alleg.*
ibi, Petr. Heig. part. 2. q. 7. quod statutum non ex omni parte
 improbat Jus Civile, uti demonstrant. *l. fin. C. depos. & l. fin. C.*
De E. D. H. T. Boër. decis. 295. num. 6. seqq. Heig. d. l. num. 34.
seqq. Exinde ergò quæritur: Anne Instrumentum à Debitore
 subscriptum & sigillatum in Charta tamen bianca ab aliò
 F 2 con-

confectum etiam sit liquidum ad decernendam executionem?
 Quod affirmo per tradita anteced. §. cum Coler. d. c. 1. num. 130.
 Francis. Pfeil. d. Cons. 39. Zahn. de Mendac. d. n. 2. B. Dn. Carpz.
 part. 1. Constit. 17. Defin. 42. part. 1. Decis. Illustr. Decis. 13. n. 4. l. 5.
 Respons. Elect. tit. 1. Resp. 3. n. 13. in Process. tit. 22. art. 1. n. 40. seqq.
 Finckelth. d. Obs. 8. n. 10. seqq. Magnif. Dn. Richt. vol. 2. Consil. 223.
 n. 11. qui num. 12. testatur, in Judiciò Moguntino Erphordiæ
 Mens. Jul. Anno 1627. ita pronunciatum & eod. Anno Mens.
 Octobr. sententiam illam à Collegio Juridicò confirmatam
 fuisse. Si verò factâ executione docere velit reus, quod fuerit
 Blanceto illo deceptus, audiendus omnino est in reconven-
 tione. Coler. d. l. Carpzov. d. Defin. 42. n. 11. non enim denegatur
 paratam executionem concedendo remedium detegendi
 actoris falsitatem & dolum, si fortè contra datam promissio-
 nem & intentionem rei in Chartâ subscriptâ & sigillatâ quid
 notaverit; sed differtur saltem facultas dolum ejusdem argu-
 endi usque post finitam executionem paratam, atque in re-
 conventionem rejicitur, & eo usque saltem instrumento sta-
 tur, donec error & dolus actoris probetur. l. 2. C. plus val. quod
 ag. Quod si tamen præsumptio falsi fortior appareat, v. g. si
 actor Chartam blancam subscriptam & sigillatam in manibus
 habuerit, homo levis sit, in quem suspicio falsi facile cadat,
 inimicitiam cum reo aluerit, &c. & reus conventus præsum-
 ptiones ejusmodi in continenti probet, vel quæstio falsi termi-
 nanda, vel ad diffessionem contentorum juratam admitten-
 dus reus erit priusquam decernatur executio. Carpz. Process.
 n. 45. seqq. quia ita sunt attemperanda statuta, ut quam mini-
 mùm à Jure Communi recedant. l. unic. C. de Inoffic. dot. Gail.
 l. 2. Obs. 33. n. 4. Magnif. Dn. Brunnem. ad l. 2. C. de Noxal. act. &
 quæstio falsi utpote majoris præjudiciù prius terminanda est,
 quam Civilis l. ult. C. de Ord. Judic. & præsumptio fortior vincit de-

debiliorem *l. divus ff. de Restit. in integr. cap. illud 2. extr. de extr. de Presumpt. Menoch. l. 1. q. 29. l. 2. A. J. Q. cas. 427.* Etiam illud Instrumentum in Chartâ blancâ scriptum non meretur executionem, quod causam obligationis nullam continet *Suttinger. Obs. 71. n. 1.* quia tale non obligat. *l. generaliter. 13. C. de N. N. P. l. 25. §. fin. ff. de Probat. cap. si cautio 14. extr. de Fid. Instrum.* nisi Creditor causam in continenti probaverit.

§. 64. Dixi Instrumentum in Chartâ blancâ conscriptum obligare subsignantem, postquam de Manu & Sigillo ejus legitimè constiterit, usque adeò, ut ex eò contra ipsum executivè agi possit. At enim verò, quid si Charta blanca nondum perscripta producat, ane omni illa destituetur effectus? Ita videtur *arg. l. 11. ff. de Injust. rupt. & irrit. fact. testam.* ubi proponuntur duo testamenta producta, diversis temporibus facta, utraque septem testium signis signata, apertum verò posterius vacuum inventum est, nihil omnino scriptum habens, quærit itaque *J. C. Ulpianus*, an prius per hoc posterius ruptum testamentum sit? & decidit Negativè, quia posterius nullum sit: rationis rationem addit *Godofr. in not. lit. Z.* quod mentis testationem defuncti non contineat. Item cum hâc meâ adsertione expressè vult *Jus Würtembergens. allegat. part. 1. tit. 34. §. 4. ibi:* Jedoch sollen keine Sigillen, so auf Chartâ blancâ gedruckt oder dran gehenkt / ehe und denn selbige ausgefertigt oder überschrieben werden / noch auch die Unterschriften derselben für kräftig gehalten werden.

§. 65. Hinc quando quæritur, an sufficiat ad legitimationem Procuratoris loco mandati exhibere Chartam blancam? Negativè cum *Berlich. conclus. 14. num. 91. ab eoque allegatis & B. Dn. Carpz. part. 1. Constitut. 1. Definit. 28. & Process. tit. 5. art. 1. n. 110. seqq.* respondeo, ob militantem falsi suspicio-

nem Boer. Decis. 274. num. 3. seqq. Chassaneus ad Consuetud. Burgund. tit. de Jur. Marit. § 5. num. 8. & quia omne mandatum sua semper requisita essentialia & formalia continere debet Umm. Disput. ad Process. 3. thes. 6. num. 37. quam sententiam usu & praxi receptam, & à Dd. communiter teneri testatur. d. l. n. 110. Dn. Carpzov. imò disertè eandem confirmavit Christianus II. Elector. Saxoniae in Ordin. Appellat. Rubr. Ordnung wegen des Versenkens / sub. lit. B. §. Demnach sich auch die Advocaten ibi: Demnach die Advocaten und Anwälde oftmahls nur die blossen überschickten Blanquet an statt der Vollmachten in Sâken produciren / dieses aber ein ganz gefährlich Thun / sintemahl ein solches Blanquet leichtlich von den Acten kommen / und in andern Sachen (wie man wol erfahren hat) bößlichen gebraucht werden kan / so soll dieses bey Straffe abgeschafft und verboten seyn. Quod eo usque extendit d. l. n. 93. Berl. Ut etiamsi quis in subscriptione suâ verbis expressis subjecerit, hoc esse mandatum in tali vel tali causâ, neutiquam tamen valiturum illud sit, eum hõc ipso falsi suspicio non removeatur. Carpz. d. Definit. 28. n. 3. qui ita pronunciatum Anno 1620. Mens. Februar. & Anno 1629. Mens. Octobr. Daß Beklagter seine Person anderer Gestalt denn geschehen / zu legitimiren schuldig sey / ibidem testis est. Procedunt dicta non solum in Chartis à privato, sed etiam à Principibus, Prælatis &c. datis, qui sæpè tales schedulas sigillatas nunciis suis & Procuratoribus dare solent, ut scribant in eis secundum terrarum, locorum & temporum indigentiam. Franc. Marc. Dec. Delphic. 990. n. 3. ibi; § quid in schedulis vacuis. § 4. conf. c. 4. § 53. Limitatur verò adsertum principale, si mandatarius ex ejusmodi Blanqueto executionem impetraverit, vel alium actum adversario præjudiciale in judicio exercuerit, & postea sciente, & consentiente Domino

no Blanquetum illud compleverit, & integrum mandatum cum suis Clausulis in eodem conscripserit: quo casu Adversarius actum illum ex defectu mandati vel capite nullitatis impugnare nequit, sed Processus valet. *Berlich. d.l. num. 96. seqq.* (Ubi ita in causâ **George Knauern** contra **Philipp Landgraffen** in Term. Trin. Anno 1622. in supremo Appellationum Judicio quod Dresdæ est, se obtinuisse, eandemq; sententiam 4. Decembr. eod. Anno per Leutationem in rem judicatam transiisse contestatur.) Ratio est, quia ab initio Blanquetum illud ad mandatum est traditum, atq; ita radix mandati adest. *Angel. de Ubald. Cons. 370. n. 1. post med. vers. sed ubi radix mandati.* Et si falsi quoque Procuratoris acta in favorem suum ratificare Dominus potest, uti receptior *Magnif. Dr. Brunnem. in Process. Civil. cap. 1. n. 80.* & communior est sententia *Gail. l. 1. Obs. 47. n. 4. per l. 56. ff. de Judic.* Si actus alterius nomine gestus, qui ab initio omnia habuit essentialia, solo deficiente Principalis consensu, superveniente eo retrò validatur. *l. 16. §. 1. ff. de Pignor. l. ult. C. ad SCt. Maced. c. ratihabitionem. 10. de R. J. in 6to. Gail. d. l. n. 5.* quanto magis nostra obtinebit adsertio, ubi ab initio per subsignationem aut subscriptionem Chartæ vacuæ mandatum alicui fuit datum, sed illud postea ab eodem in scripturam redactum. Adversarius verò sibi imputabit, quod ab initio non exceperit contra Chartam blancam, adeoque damnum, quod exindè suâ culpa sentierit, sentire non videbitur. *l. 203. ff. de R. J. c. 86. de R. J. in 6to. ut scil. jamjam contra eam excipiens audiatur.*

§. 66. Chartam blancam mandati loco à Procuratore productam eum non legitimare sufficienter, ex dictis constabit. Quandoquidem verò suppleri defectus mandati insufficientis aliquando optimè per adminiculum aliquod accedens potest; disquirere hîc lubet 1. An Procurator exhibens
loco

loco mandati Chartam blancam nondum perscriptam admittendus sit Cautionem rari præstiturus? Id quod affirmo: quodocunque enim mandatum est insufficiens, aut dubium, cautione rati defectus ejusdem suppleri potest. *l. cautio 1. C. de Procurator. B. Dn. Carpz. libr. 3. Respons. 8. n. 10.* Neque objici poterit, in propositâ quæstione nullum omnino esse mandatum, Procuratorem verò sine ullo mandato comparentem nec cum cautione quidem rati admittendum. *Magnif. Dn. Brunne- neman. ad d. l. 1. C. de Procurat.* Respondeo enim concedendo quidem, quod sit mandatum insufficiens, quia legitima sua requisita non habet, concedendo etiam quod sit dubium propter suspicionem falsi: Nego verò, quod omnino pro nullo haberi debeat; consensum enim Principalis subscriptio & subsignatio ejusdem contestantur, maximè tum, si specialis fuerit subscriptio, quòd hoc sit mandatum in tali vel tali causâ; quantumvis itaque suspicio falsi suspectam reddat subsignationem illam in Chartâ blancâ factam, non tamen eos usque infringit, ut pro nullâ haberi, adeoq; nec per cautionem rati legitimari debeat, possit. Quicquid tandem hujus sit; Judicis Arbitrium utramq; sine dubio paginam hoc in negotio faciet. Siquidem verò locus cautioni de ratò sit, hæc tamen ad casum, quo speciale mandatum requiritur, extendi non poterit, ut defectum mandati specialis suppleat, ne in unâ causâ duo concurrant specialia. *Camill. Borell. Conf. 64. n. 12. Ludovic. Rom. Conf. 350. n. 16. vers. duplex autem fictio, Process. Frider. part. 1. c. 7. n. 47.* 2. Quæro, an Procurator defectum exhibitæ mandati loco Chartæ blancæ supplere per literas Mandantis possit? Quod nego: nisi tamen omnia mandati legitimi requisita literæ productæ contineant, quo casu etiam aliàs defectum mandati supplere valent. *B. Dn. Carpz. d. Resp. 8. n. 6.* Sed tum per se ad legitimandam personam Procuratoris sufficient, nihil quicquam conferente Chartâ blancâ. §. 67.

§. 67. Finis Chartæ blancæ primarius est, ut Negotium, de quo convenit, aut convenire adhuc debet, eidem inscribatur: Secundarius, ut hâc ratione citius atq; facilius expediatur.

CAP. VI.

De Affinibus Chartæ blancæ.

Secundis huc usq; velis provectus paulatim nunc ad portum destinatum annitor, & ad Adfinia Chartæ blancæ devenio.

§. 68. Quorum reperire quatuor conquirit licuit. Primum est Procuratorium uti vocatur, en blanco i. e. in albis à *Tiberio Decian. vol. 3. Resp. 91.* mihi exhibitum; quod hisce ibidem ille verbis formalibus describit: In Regno Arragonum viget Consuetudo, quod Notarii possint conficere mandata & procuratoria generalia, quæ vocantur ex communi usu loquendi en blanco i. e. in albis, quorum vis talis est, quòd facto mandato de quibusdam specialiter expressis, subdit Notarius, quòd Constituens dederit sibi Notario facultatem extrahendi non modo dicta mandata specialiter ad expressa facta, sed etiam ad omnia alia, quæ Constitutus voluerit, perinde ac si ibi forent expressa, etiamsi speciale requirerent mandatum, & sub eodem die & testibus. Et tunc Notarius dimittit duo vel tria folia alba subsequencia in ipso Protocollo vacua ad hunc finem, ut si postea Procurator ex Clausulâ illâ generali voluerit sibi extrahi mandatum aliquod in specie, puta ad vendendum, quod tamen tempore scripti mandati non fuerit expressum, possit Notarius extrahere perinde, ac si verè fecisset tunc, cum fuit expressum confectum.

§. 69. Secundum est Procuratorium in albis à *Nicol. Boër. Decis. Burdegal. 274.* propositum, quod est mandatum potestate Domini aliquid constituentis repletum excepto modico albo ad inscribendum Nomen Procuratoris. Proprium relicto. De eo dict. *Dec.* disquirat *Boër.* an valeat? Atque affirmative

tivè tandem post multas disceptationes respondet; subsistere Procuratorium ejusmodi de Consuetudine, maximè si Procurator constituendus sit alterius loci distantis à loco Constituentis, quia verisimiliter ignorare Constituens nomen ipsius Procuratoris, nec de eo ab alio certiorari potuerit *dict. Decis. n. fin. add. Tuschus. lit. F. concl. 409. n. 3.*

§. 70. Tertium est Charta alba omninò adhuc vacua, quam Civitas Principi alicui se submittens cum sigillo Universitatis & Notario mittere solet, hoc sensu, ut signare & conscribere in Chartâ illâ pura debeat Notarius, quicquid de naturâ negotii & voluntate Principis Domini futurum sit. *Baer. d. Decis. n. 5. ex Bald. Abbat. & Felin.* Unde nata fortè est formula loquendi, quam notandam commendat *Besold. in Thesaur. Pract. voce nostrâ*, porrigere alicui Chartam blancam h. e. explicante eodem *Besold. si auff Gnad und Ungnad ergeben/ und einem ein Blat zustellen / darauff er schreiben mag/ was er will.*

§. 71. Quartum absolvit allegata jam *l. Si binæ ff. de injust. rupt. & irr. fact. testam.* cujus casum *cap. præc. §. 64.* formatum hîc repetere supersedeo.

CAP. VII. & ult.

De Chartæ blancæ Contrariis.

§. 72. Opponi Instrumento in Chartâ blancâ scripto in genere possunt, quæcunque documenti alicujus suspectam reddere fidem queunt; *qualia vid. ap. Ruland. de Commiss. part. 2. lib. 5. c. 29. num. 11. Everhard. in tract. de fid. Instrum. c. 5. & 12. Wesenb. Par. ff. de fid. instr. n. 8. Process. Frider. p. 1. c. 53. n. 15.*

§. 73. In specie verò excipi potest *l. de non numeratâ pecuniâ.* Quæ exceptio & Creditori datur, & Debitori, *Magn. Dn. Strauch. Dissert. Theor. Pract. 23. tb. 13.* Creditori, qui spe celerioris solutionis Debitori suo Chartam blancam tradidit,

ut

ut in eadem APOCHAM conscriberet, quæ accepisse vel recepisse creditorem ex quâcunque causâ (exceptis quatuor, quæ recensentur à Zang. tr. de Exc. part. 3. c. 14. n. 4. seqq.) pecuniam à Debitore, fateatur. Zang. d. l. n. 3. Uti hâc Exceptione Creditor debet intra 30. dies *l. in contractibus 14. §. super ceteris 2. C. de N. N. P.* quibus elapsis de pecuniâ sibi non solutâ movere querelam amplius nequit, sed apochæ suæ omnimodo stare cogitur *d. §. 2.* etiamsi onus probandi pecuniam solutam non fuisse in se recipere velit, ob favorem liberationis, fac. *l. Arrianus 47. ff. de O. & A. Zanger. d. l. n. 30. & seqq.*

§. 74. Debitori exceptio non numeratæ pecuniæ datur, qui spe futuræ numerationis Chartam blancam futuro Creditori suo tradidit, in quâ hic illum scripsit confitentem, numeratam sibi ex causâ mutui, (non aliâ, ubi stare confessioni suæ cogitur *l. adversus C. de N. N. P. l. generaliter 13. C. d. t. Trentacinq. l. 3. resol. 20. tit. de solut. n. 20. cujus rationem reddit Donell. l. 14. c. 37. ibique Hillig. lit. i.*) pecuniam esse, quæ revera tradita numerataque non est. Sive nulla omnino, sive minor quam inscripta Chartæ blancæ continetur, numerata fuerit; siquidem & de parte non solutâ competit Exceptio N. N. P. *l. minorum 2. l. cum ultra 9. C. de non num. pec. Oldend. Class. act. 4. Act. 30. pag. m. 71. n. 4. Befold. Thesaur. Pr. hâc voce.* Proponendæ huic Exceptioni præscriptum ab Imper. Justin. est biennium continuum, à die dati Chirographi computandum *d. l. in contract. 14. pr.* ratio diversitatis cur brevius Creditori sit indultum tempus vid. *ap. Zang. d. l. n. 26. seqq. Heig. ad Inst. de lit. oblig. n. 30.* Intra illud à Legibus definitum biennium, si Debitor sibi iurisque suo vigilet, atque Exceptionem hanc s. per modum exceptionis s. per modum actionis *Oldendorp. d. l. p. 715.* opponat, probare petitor numeratam esse pecuniam tenetur *l. si ex causatione 3. l. Adseveratio 10. C. de N. N. P.* si verò per negligentiam suam

suam præterlabi illud patiat, amplius exceptione hac uti non potest, etiamsi probare velit numeratam sibi pecuniam, non esse *d. l. 14. verb. nullo modo* & *l. 8. verb. omnimodo C. b. t. vid. Ludw. §. unic. 7. de Lit. obl. n. 5.* uti in puncto juris veriore adferit sententiam *Zang. d. l. num. 68.* & accuratissimè ostendit *Magn. Dn. Præses in Not. ad Sudholt. diff. 14. apb. 68.* & in *Resol. difficil. L. L. Cod. ad l. 14. C. de N. N. P.* quamvis contrariam communem *Schneidw. ad Inst. de lit. oblig. n. 11.* & in praxi receptam *Wesenb. vol. 1. cons. 42. n. 24.* contestentur.

§. 75. Etsi vero debitor post lapsum biennium opponere Exceptionem N. N. P. nullo modo possit, non omni tamen Legum destitutus est auxilio, poterit enim probatâ læsione, ex justâ causâ restitui in integrum; poterit conventus per Reconventionem ex conditione causâ data causâ non secuta sibi consulere; poterit remedio extraordinario Canonico Denunciationis Evangelicæ uti, cum adsit hic materia peccati, quo casu Denunciatio dicta semper admittitur *Dn. Gotthofr. de Jena tract. de Sct. Maced. sect. 4. apbor. 6. num. 10. quâ ab apbor. 3. ad finem usque sect. 4. elegantissimè, pariterque accuratissimè de eadem differit.* Poterit etiam aliis se exceptionibus naturâ suâ perpetuis defendere. Quando autem exceptio N. N. P. ne quidem intra biennium opponi possit *vid. Magn. Dn. Str. th. 53. Ex. 15.*

§. 76. Huic Exceptioni affinis est Exceptio non numeratæ dotis, quæ indulgetur marito, qui amore captus ex nimia facilitate Chartam blancam dedit, in quâ conscriberetur Instrumentum dotale, continens solutam plenariè dotem esse, quæ destinata saltem & promissa erat *l. fin. C. de dot. caut. non num.* Competit illa intra annum continuum à soluto matrimonio, si non ultra biennium; intra tres menses, si non ultra decennium duravit matrimonium *d. l. ult. & auth. sequens*

cum Nov. 100. Matth. Steph. ad d. Nov. n. 3. seq. Intra quæ tempo-
 ra si opponatur, eundem cum Exceptione non num. pec. ha-
 bebit Effectum; sc. ut numeratio realis probanda sit ab uxo-
 re vel herede ejus restitutionem dotis petentibus, non à ma-
 ritò excipientel. 3. C. de n. n. p. Zanger. d. c. 14. num. 40. Ste-
 phan. d. l. num. 18. Denegatur Exceptio hæc si ultra decen-
 nium constiterit matrimonium d. Nov. c. 1. §. 1. nisi maritus
 fuerit minorennis d. Nov. c. 2. qui duodecim annos ad con-
 testandam non numeratæ dotis querelam habet. Hunc ta-
 men casum vix esse dabilem censet B. D. Decher. Disput. de
 non num. pec. thes. 46. Denegatur etiam exceptio hæc, si per
 negligentiam tempora opponendi eam præterlabi passus sit
 maritus. Quo ipso tamen Creditoribus suis nihil quicquam
 præjudicat Covarruv. l. 1. Var. Resol. c. 7. n. 6. Thesaur. dec.
 112. diff. Gail. l. 2. observ. 81. n. fin. Denegatur denique Ex-
 ceptio hæc quodocunque matrimonium fuerit solutum, si
 præter instrumentum dotale continens dotis dationem adsit
 etiam Aposta, quâ caverit maritus, se dotem accepisse, quia
 non est verisimile, maritum etiam Apostam daturum fuis-
 se, si eam non accepisset Steph. d. l. num. 14. ex Valefc. Decis. 6.
 & Andr. Rauchbar. part. 2. qv. 35. n. 7. seq. Alii modi, qui-
 bus denegatur Exceptio non num. dot. quocunque tempore
 solutum matrimonium fuerit vid. in Comm. Cod. Magnif. Dn.
 Brunnem. ad l. 1. C. de dot. caut. non num.

§. 77. Excipi porrò etiam potest contra Instrumentum
 Chartæ blancæ insertum, non esse illud consensu tradentis
 conscriptum, sed alium in finem Chartam blancam fuisse da-
 tam; quod si probare Excipiens possit, audiendus omnino erit,
 quia subscribens non videtur approbare actum, si dissensum
 suum adfuisse docere possit. l. cum precibus 18. C. de probat.
 & ibi Dn. Brunnem. l. 2. C. de reb. al. non alien. Et tum Creditor

ex Blanqueto debitum mentiens, si de falsâ obligationis confectione in Chartâ vacuâ convictus fuerit, infamiam crimenque falsi incurrit *l. 1. vers. qui in iudicio publico calumniæ ff. de his qui not. infam. Zabn. de Mendac. l. 2. c. 21. n. 3. ex B. Dn. Carpz. l. 3. tit. 5. Resp. 53. n. 7. qui dict. Resp. ventilat illam quæstionem, an Reus excipiens, in Chartâ blanca contra mentem & intentionem suam instrumentum scriptum fuisse, juramentum Actori desuper deferre possit? Quod negat, si causa in processu executivo agitata fuerit, quia non possit deferri juramentum super exceptione contra instrumentum liquidum, & confesatum oppositâ in processu executivo *d. Resp. n. 3. per ibi allegat.* Affirmat verò si in processu ordinario discussa causa fuerit, utpote in quo etiam post litem Contestatam Reus excipiens super Exceptionibus peremptoriis actori jusjurandum deferens admittatur *l. generaliter 12. §. omne C. de reb. cred. d. Resp. n. 4.* Atque ita in Elector. Cur. Term. Luciae An. 1630. pronunciatum *d. Resp. n. 5. testatur.* Weil Beklagte der Klage nicht geständig/auch darbey eingewendet/das sie die producirte obligation von sich nicht gegeben/sondern allein ein blosses Blanquet zu einem andern Ende unter ihrer Hand und Siegel ausgeantwortet und darauf hinter Beklagten Wissen und Willen die producirte obligation ingrossirt worden/als seynd Klägere uf Beklagten vorhergehenden End vor Befehrd ihr Gewissen / Wissenschaft und wolbewust/dahin es ihnen gestellet/hierüber zu eröffnen pflichtig. *V. R. W. quæ sententia d. An. d. 18. Dec. publicata in Senatu Appellat. in secundâ Instantiâ Term. Trin. A. 1632. confirmata fuit: So viel aber 2. bleibt es beydem in voriger Instanz den 18. Dec. A. 1630. eröffnetem Urtheil billig/darzu diese Sache an denselben Richter zu remittiren/wie wir denn solche hiemit dahin remittiren und weisen V. R. W. Si igitur juraverit actor, exceptio de Chartâ blancâ hoc ipso elisa est, sicuti pronunciatum**

tum

tum in Curia Lips. A. 1627. T. Trin. in causa Matthes Fleischers
 contra Bastian Jehringer hisce formalibus: Weil Kl. den End
 numehr abgelegt/so wird auch das libellirte Plancete billig cassi-
 ret/u. ist Befl. Kl. die auf diese Sache gewante Unkosten auf unsere
 Ermäßigung zuerstattten schuldig. *V. R. W. Dn. Carpz. d. l. n. 17.*

§. 78. Non solum verò per modum Exceptionis, qui plus
 in Charta blanca scriptum quam actum, aut aliud scriptum
 quam actum contendit, contra scribentem procedere ejusque
 conscientia quod in instrumento scriptum est committere
 potest; sed etiam in modum Actionis: quam Cautelam ad e-
 vitandum Chartæ blancæ periculum commendat *Finkelthuf.*
d. obs. 8. n. 18. 19. Ubi factum ita in Curia Elect. An. 1630. Term.
 Luciae à I. R. viduâ & heredibus contra N. testis est, Tenore se-
 quenti: Auf den Fall/da Beklagter litem negativè contestiret
 würde/will Kläger die Klage von dem 2c. Beklagten in sein Christ-
 lich Gewissen/Wissenschafft und wohlbewusst gestellet haben / des
 Vertrauens zum Nechten/Er sey dasselbe darauff zueröffnen schul-
 dig 2c. in quâ causâ etiam Responsio ad libellum istum injun-
 cta reo fuit à Judic. Appellat. per sententiam d 2. Jan. An. 1631.
 in Quæstorio Lips. publicatam. *Finkelth. n. 20.*

§. 79. Adserui superius non obligari eum ex Instrumento
 in Charta blanca à se tradita confecto, qui docere possit, in a-
 lium se finem Chartam blancam scribenti tradidisse. Quod si
 tamen Blanquetum quis alicui v. g. ad mandatum in eo confi-
 ciendum tradidit, hic vero eodem ad alium finem puta ad pe-
 cuniam mutuo accipiendam & obligationem desuper faci-
 endam clam & inscio Creditore usus fuerit, Dominum meri-
 to ex illo teneri, concludit. *Berl. part. 1. concl. 14. n. 95. ex Angel.*
de Ubald. cons. 370. incip. Creditor volens sibi solvi centum n. 1. 5
vers. Et hoc de rigore sine dubio n. seq. cum imputare sibi debear,
 quod tam incautus fuerit & Chartam blancam alicui credi-

§. 80. Excipi ulterius potest contra subscriptionem & sigilla, manum & sigilla non esse ejus, cujus esse dicuntur, sigilla non esse voluntate Domini impressa, sed clam surrepta, aut ad imitationem horum alia efformata &c. *vid. Autores in pr. hujus cap. allegati.*

§. 81. Locum etiam hinc invenit Exceptio doli, vis metusve, erroris; quibus is, contra quem Charta blanca producitur, excipit, se dolo Creditoris inductum, vi metusve coactum, errore lapsum Chartam blancam tradidisse *arg. §. 1. f. de Except. item simulationis, quâ aliud actum, aliud simulatè conceptum dicit: siquidem plus valet quod agitur, quàm quod simulatè concipitur l. 1. §. tot. tit. C. plus valer. quod agit. &c. quæ singulæ sunt perpetuæ l. purè §. ff. de dol. mal. & met. exc. Menoch. l. 3. pres. 12. n. 57. conf. Zang. d. part. 3. c. 13. ubi copiosè de quatuor hisce exceptionibus agit.*

§. 82. Ultimo deniq; loco notandum est, Chartam blancam non præsumi, sed qui de eâ excipit, si audiri velit, probare id ipsum manifestò teneri *Köppen. dec. 46. n. 27. Höpingk. d. c. 6. n. 156. Ruland. de Commiss. part. 3. l. 5. c. 35. n. 4. lit. f.*


Atque sic Directore DEO portum consecutus grates Eidem fundo devotissimas, quod sanam in sano corpore mentem labori præsentî perficiendo clementissimè concesserit. Benevolum vere Lectorem obnixè rogitò, velit leviuscula hæc æqui bonique consulere & sicubi humano more erraverim, ingenio judiciove adhuc imbecilliori illud benevolè condonare, recordatus monitum Imperatorium ex l. 2. §. 14. C. de V. f. & Penitus in nullo peccare divinitatis magis, quàm mortalitatis est.

F I N I S.

ULB Halle

3


005 132 681



V.17







1668, 39^{te}

15
2

D u e r!

m ad Salam Ordine

ulgente,

ESIDE

ADEMIÆ RECTORE

IRO

PLISSIMO, CONSULTISSIMO

ELLENTISSIMO

FRIDERICO

ilitario in *Wickerstädt/*

co Famigeratissimo, Consiliario

Curiaë Provincialis & Scabinatus

gravissimo,

ceptore suo æviternâ animi

devenerando,

EM JURIDICAM

De

BLANCA

vulgò

nquet/

n disquisitioni submittit

DERICUS Schade/

nâ-Silesius,

RESPONDENS.

n horis locoque consvetis,

Christi MDC L XVIII.

CUSA

DCLXXXIV.

JOHANNIS NISL.